

Harvard College
Library
VE RI
TAS
FROM THE BEQUEST OF
SUSAN GREENE DEXTER

ANNALES


ACADEMICI.

CIƆIƆCCCLVII—CIƆIƆCCCLVIII.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO J. C. DRABBE. | PROSTAT APUD E. J. BRILL.

1861.



31

Quae hoc annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.



ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. IX FEBR. CIↃIↃCCCLVII AD D. VIII FEBR. CIↃIↃCCCLVIII

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

FREDERICUS KAISER.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

ABRAHAMUS KUENEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

F. KAISER.
I. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. I. VERDAM.
G. H. DE VRIESE.
P. L. RYKE.
F. W. R. SURINGAR, Prof. extraord., qui die 14 Nov. 1857 munus auspicatus est.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. BAKE, rude donatus die 1 Octobr. 1857.
I. M. SCHRANT, Prof. emeritus.
A. RUTGERS.
T. G. I. IUYNBOLL.
I. H. STUFFKEN.
C. G. COBET.
R. P. A. DOZY, primum Prof. extraord. deinde ord.
M. DE VRIES.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM.

IN FACULTATE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN.
G. C. B. SURINGAR.
F. G. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS, primum Prof. extraord. deinde ord.
H. HALBERTSMA IUST. FIL., primum Prof. extraord. deinde ord.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. G. TYDEMAN, quantum aetas et valetudo sinebant.
C. I. VAN ASSEN.
H. COCK.
I. DE WAL.
S. VISSERING.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, quantum aetas et valetudo sinebant.
N. C. KIST.
I. H. SCHOLTEN.
A. KUENEN.
I. I. PRINS.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector German. Literarum.
I. A. BOOGAARD, in Theatro anatomico Prosector.
I. BOSSCHA IR., in Museo physico Adiutor.
M. HOEK, in Observ. astron. Observator.

FREDERICI KAISER

ENARRATIO

FATORUM ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE,

INDE A DIE IX FEBR. CIƆIƆCCCLVII USQUE AD DIEM VIII FEBR. CIƆIƆCCCLVIII,

HABITA DIE VIII M. FEBRUARII CIƆIƆCCCLVIII,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM SOLEMNI RITU DEPONERET.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, PROFESSORES, CIVES, ET VOS OMNES QUOTQUOT AD SOLEMNIA HAEC CELEBRANDA CONVENISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI.

Leges et maiorum instituta Academiae Rectorem Magnificum iubent, magistratu Academico abiturum, publice enarrare quaecumque, aut laeta aut tristia, Academiae eo anno acciderint, quo Rectoris munere functus est, praemissa, si videatur, oratione de argumento aliquo, disciplinae quam profitetur partem quandam illustrante. Etsi penitus persentiscam quam multa mihi desint, quae ab oratore postulantur, dicendi officium deserere non potui, sed nullum disciplinae meae locum, solemni hoc die, dicendo explicandum esse iudicavi. Multa quae scripsi et edidi satis demonstrant, numquam locum mihi defuisse et tempus cunctis aperiundi, quid meum esset de rebus astronomicis iudicium: neque in posterum ea defutura credo. Difficillimum mihi semper visum est, subtiliter excogitata disciplinae cuiusdam inventa, iucunde et perspicue coram ingenti auditorum corona, dicendo explicare, in aliis doctrinis suo iure regnantium. Quod ego nunc suscipere si vellem, huius diei solemnitate abuterer, praecipue in disciplina, quae rectius vernaculo sermone illustretur. — Accedit alia causa, cur in fatis Academiae enarrandis potius acquiescam. Annus proxime praeterlapsus multa tulit Academiae Lugduno-Batavae memoratu digna, de quibus si, oratione praemissa, paullo accuratius, ut par est, agerem, vehementer auditorum patientia essem abusurus. Vobis igitur, Auditores Humanissimi, me haud ingratum facturum esse confido, si, expositione de capitibus selectis disciplinae meae in aliud tempus aliumve

locum reiecta, nunc Academiae fatis enarrandis dicendi munere defungar. Quod pro viribus facturo vestra mihi opus erit benevolentia et indulgentia, quas modeste invoco, sperans fore ut hic ipse dies novus sit testis auxilii et benignitatis, quam per illud tempus, quod magistratum academicum gessi, ab omnibus expertum me esse summopere gaudeo.

Quod in hac vita cuivis rei publicae, singulis institutis et hominibus, per longius quoddam temporis spatium accidere solet, ut variam experiantur fortunam, ut grata laetitiae sint et tristia dolorem adferant, hoc idem Academiae Lugduno-Batavae per annum proxime praeterlapsum contigit: quae scilicet fortunam nacta est satis prosperam, nec tamen nullis tristitiae nubibus obsitam. Grato tamen animo profiteri licet, bona, Academiae nostrae quae contigerint, minus laeta longe superare.

Beneficium illud, quod prae ceteris memorandum est, non tantum Academiae Lugduno-Batavae, sed patriae universae, fausta tulisse laetor! Sospitem dico Regem Augustissimum et Regiam gentem! Multa sunt quae cunctos patriae carissimae cives Regis faciant amantissimos. Nobis vero, quibus in celeberrima Academia Lugduno-Batava, ab illustrissimo Regis proavo condita, vitam vivere licet, multis nominibus Rex Augustissimus carissimus est, qui nostram Academiam perpetuo egregia benevolentia et praesidio ornat et amore prosequitur. Augustissimo Regi palam significare placuit, quanti faciat Academiam Lugduno-Batavam, quum ante diem quintum Idus Apriles anni praecedentis Regis filius natu maximus, Princeps Arausiacus, Ecclesiae Reformatae fidem esset confessurus. Solemnis et sanctus hic actus celebrabatur in domo Regia, Hagae Comitum, coram Rege et Regina, Augustissimis testibus Principibus gentis Regiae, praesentibus Aulae Regiae satellitibus nobilioribus. Paucissimi, qui aulicorum officio non fungerentur, ad solemnem hunc actum frequentandum vocabantur: in iis praecipue qui Principem Arausiacum docuerant aut docebant. Placuerat Regi Augustissimo ut Praeses Curatorum, Vir Illustrissimus, et Rector Magnificus Academiae Lugduno-Batavae adessent. Honorifica haec Regis voluntas et me testem fecit gravissimi et sanctis-

simi actus, qui cunctos movebat, quum Princeps Arausiacus, sacra scriptura nitens, se suamque vitam Divino cultui sacraret. Iure gloriatur Academia Lugduno-Batava, honorifice ad hunc actum vocata. Pluris vero haec honoris significatio facienda est, quod Rex Augustissimus Principem Arausiacum civibus Academiae Lugduno-Batavae adscribendum esse iam antea censuerat. A Principe tot ingenii dotibus ornato, moribus sanctissimis conspicuo, modestiae laude florenti, bona quaevis Academiae sperare licet. Et iuvenis Regii vita, inter musas Leidenses, illud efficiet, ut arctius vinculum contrahatur, quo Gens Arausiaca et Academia Lugduno-Batava continentur: quod quam firmum sit, ante aliquot annos, diserta oratione explicuit unus e Professoribus, de hac Academia optime meritus. Utinam alma haec musarum sedes perpetuo eodem gentis Arausiacae praesidio gaudeat et vicissim amorem illius gentis Regiae alat et confirmet, bonarum artium studiosos monendo et docendo, quid patria nostra illustri huic genti debeat.

Inter ea quae, per annum proximum, fausta Academiae Lugduno-Batavae habenda sunt, imprimis hoc ponendum esse iudicamus, Amplissimos Academiae Curatores, et Virum Nobilissimum, quem sibi Traiectina Academia vindicavit, vivere et laeta valetudine frui. Utinam liceret omnes praedicare beatos, ob fortunam nullis calamitatibus adflictam, sed illud gaudium non concedit duplex dolor, quem accepit Vir Amplissimus Luzac, ex obitu affinis Pauli du Rieu, antea civitatis Lugduno-Batavae Consulis et Academiae Curatoris, quem Virum Amplissimum ex intimo pectore lugemus; infelicem patrem qui filium, egregium Academiae civem, brevi ante, immatura morte exstinctum, plorabat. Dum Viro Amplissimo Luzac nostrum dolorem significamus, optamus fore, Deumque precamur, ut bona leniat valetudo ex duplici clade susceptum dolorem, et felix curarum successus, quas Patriae et Academiae impendit. Laetamur Virum Excellentissimum Gevers van Endegeest, multiplici et difficili Rerum Externarum curatione non impediri, quominus egregiae animi dotes et inaudita sollertia Academiae nostrae fructus ferat uberrimos. Viris Amplissimis van der Heim van Duivendyke et Comiti van Limburg Stirum gratias agimus, quod, multis vitae publicae negotiis districti, ab Academia curanda se avocari non passi sint. Nobilissimo Comiti van Limburg Stirum novum

praeterea gratulamur Regiae benevolentiae documentum, equiti Leonis Neerlandici insignibus ornato. Utinam Virum Amplissimum VAN EWYCK VAN DE BILDT Academiae nostrae Curatorem salutare liceret, qui, cum alio habitatum concederet, Curatoris provincia abiit; quem virum abiisse omnes dolent, qui Academiae nostrae bene cupiunt. Quum autem grato animo, quanta ei Academia nostra debeat, profitemur, nos consolatur cogitatio, Virum Amplissimum VAN EWYCK VAN DE BILDT, patriae et disciplinis reservatum, alius Academiae curam gerere, quam sororis instar diligimus.

Huic iacturae, quam fecit Academia, non melius mederi potuit, quam eo decreto Regis Augustissimi, quo Curatoris munus tibi, Vir Amplissime PHILIPSE, delatum esse cognovimus. Gratias tibi agimus quod gravissimam, a Rege tibi mandatam, Curatoris provinciam, in te recipere non recusasti. Laeti te Academiae Curatorem salutamus et maximi nos te facere profitemur. Tuus enim boni et pulchri amor facit, ut Academiae insigne decus et praesidium te futurum esse vere auguremur. Musarum sedem tibi commendare non opus est, quoniam meliorem patronum invenire non potuerat. Utinam quod in Academiae salutem suscepisti munus, laetitiae ac voluptati tibi sit futurum. Servet te Deus Optimus Maximus in salutem Patriae et Academiae, faustaque tibi cedant, quae in eius commodum sis facturus.

Annus superior, plures quam vulgo fieri solet, rerum vicissitudines attulit, viris clarissimis aut ad otium honestum, aut ad alia munera vocatis. At vero Dei benevolentia factum est, ut nullius obitum lugeamus, aut virili flore aetatis, aut senectute iam obrepenti, doctoris academici munere fungentis. Unius tamen Professoris Academici, iam diu rude donati et in alia patriae regione, valetudinis causa, degentis, mortem lugemus; qui tum per multos annos Academiae ornamento fuerat, tum in otio disciplinae suae prodesse non desierat. Non sine animi dolore obitum in mentem vobis revocare possum Viri Clarissimi IACOBI NIEUWENHUIS. Quum enim, ante hos triginta annos, in Academiam Lugduno-Batavam delatus essem,

continuo eum amicum benignum et paternum expertus sum, qui mihi adolescenti familiaritate et consiliis excitarit animumque addiderit, ut, quae in me bona contulerit Vir Clarissimus, nulla umquam oblivio ex animo sit deletura.

Iacobus Nieuwenhuis natus est ante diem septimum Kalendas Novembres, anni millesimi septingentesimi septuagesimi septimi. Pater, mercator Alcmariensis, filium Iacobum primum mercaturae destinaverat, sed filii literarum amore et amici cuiusdam monitis permotus consilium mutavit, et filium, puerili admodum aetate, ita doceri et institui decrevit, ut aliquando in Ecclesia Lutherana Verbi Divini interpres cooptari posset. Puer ab anno duodecimo usque ad aetatis annum decimum septimum, discipulus fuit Gymnasii Alcmariensis; et privata institutione Ludimagistri Govert de Beer, initiis imbutus est disciplinarum Mathematicarum et Physicarum, quas quo fructu didicerit, egregiis doctrinae documentis postea demonstravit. Gymnasio Alcmariensi cum laudis significatione relicto, ut solebant tunc temporis Theologi Lutherani Neerlandici, iuvenem Theologiam docuit Statius Mullerus Verbi Divini Minister. Postea in Academiam profectus est Tubinganam, in qua biennium ita vixit ut non tantum Theologiae, sed etiam disciplinis Mathematicis et Physicis magna industria et diligentia operam dederit.

Mox in patriam redux Sacrosanctae Theologiae apud Lutheranos Candidatus renunciatus, annum vix agens aetatis vigesimum secundum Zutphaniam vocabatur Verbi Divini interpres Lutheranus. Brevis in hac urbe commoratio testata est singularem doctrinam et sollertiam Nieuwenhusii. Quum enim, iuvenili hac aetate, Theologi munere et officio diligenter et sancte fungeretur, praeterea disciplinas Mathematicas et Physicas in Ludo Militari docuit, quem Voetius Praefectus militum moderabatur; edidit etiam Institutiones Mathematicas, quae anno millesimo octingentesimo tertio, duobus spissis voluminibus, prodierunt. Tribus annis post Nieuwenhusium vocarunt Lutherani Ultraiectini, quam conditionem accepit. Traiecti ad Rhenum tredecim vixit annos, in qua urbe doctrinae laudem, quam in rebus Theologicis ac disciplinis Mathematicis et Physicis meruerat, novis laudibus auxit et praeterea magis etiam Philosophiae Theoreticae operam dedit. Variis non tantum opusculis editis, multiplicis doctrinae specimina

protulit, sed etiam Lector Fundationis Renswoudanae quam vocant in urbe Ultraiectina, et privatus Academiae Ultraiectinae studiosos Physicam et Historiam Philosophiae gratis docens, cunctis quis esset probavit. Anno huius saeculi undecimo NIEUWENHUSIUS in Academia Ultraiectina Philosophiae Doctor rite creatus est.

Quum anno millesimo octingentesimo decimo sexto Matheseos et Philosophiae professio in Illustri Athenaeo Daventriensi vacaret, NIEUWENHUSIO haec provincia mandata est, nec quisquam sane duplici muneri, quod Daventriensi professori impositum erat, tam idoneum se probavit. Eo nimirum tempore, ut diu postea, in Athenaeo Daventriensi omnis disciplinarum Mathematicarum et Physicarum ambitus, cum Philosophia Theoretica, uni professori mandabatur. Vehementer dubito an quis, qui ante aut post NIEUWENHUSIUM Daventriae docuerit, scientiae copia, quam discidisciplinarum tanta diversitas postulabat, NIEUWENHUSIUM aequaverit. Sex annos Daventriae commoratus est. Tot tantisque negotiis districtum per illud tempus nil nisi inauguralem orationem edidisse, nemo mirabitur.

Anno millesimo octingentesimo vigesimo secundo NIEUWENHUSIUS, aetate quadraginta quatuor annorum, Lugdunum Batavorum vocatus est, ut Philosophiam Theoreticam doceret, quae professio, Clarissimo VAN DE WYNPERSSE rude donato, vacabat. NIEUWENHUSIUS et hanc conditionem accepit, sed dubitare licet an vitam omnino felicem invenerit. Multo facilior videbatur professio Leidensis, quum tot et tam variae disciplinae Daventriae docendae essent, sed, ab altera parte aegre tulisse NIEUWENHUSIUM credibile est, quod disciplinarum Mathematicarum studia intermittere cogeretur. Praeterea Philosophia Theoretica eo tempore multis despicatui habebatur; nec aliter fieri poterat, quin ea res, quae tantopere WYNPERSSIUM afflixerat, NIEUWENHUSIUM quoque dolore afficeret. Magnus tamen fuit disciplinarum philosophicarum ambitus, quas in Academia Lugduno-Batava docebat et multas commentationes aut libros edidit, qui disciplinam, quae ei erat mandata, illustrarent; qui libri cuiusnam pretii sint, meum non est iudicare, quapropter plura de iis dicere supersedeo coram iudicibus idoneis, qui Virum Clarissimum doctorem academicum aut collegam cognitum habuerunt. — Anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, quum annum aetatis septuagesimum nondum compleverat, infirma valetudo,

fortasse etiam infructuosa virium contentio faciebant, ut otium honorificum peteret, quod ei Rex Augustissimus concessit. Academiae et urbi valedixit, sed, quod eius scripta testantur, disciplinae suae operam dare non desiit, donec debilitatae corporis et animi vires id vetarent. Obiit ante diem septimum Idus Apriles anni praecedentis, fere octogenarius. Ex amicis NIEUWENHUSII, alter Bibliothecarius Academiae Lugduno-Batavae, Doctissimus BERGMAN, Viro Clarissimo dignam conscripsit laudationem. Etiamsi meum non est honorificum illud BERGMANNI iudicium, de doctrina et meritis NIEUWENHUSII, confirmare, ingratus essem nisi meas facerem BERGMANNI laudes, quibus animi dotes eximias, probitatem et NIEUWENHUSII vitam domesticam, vere descripserit.

Nullam quidem Academia Lugduno-Batava iacturam fecit, professore aliquo morte exstincto, praeter, quem memoravimus, virum sollertissimum, qui propter senectutem ei saluti esse diutius non poterat, et cui vita non amplius vitalis erat. Quae cogitatio quam laeta est et quantopere grati animi sensum excitat, quum, Virorum Clarissimorum coronam intuemur, qui singuli patriae ornamentum, disciplinis et humanitatis studiis superstites, vivunt et florent! Gratus ille animi sensus nullo umquam die cunctis maior fuit, quam ante diem octavum calendas Iunias. Fama enim, nunc nuncia veri, volabat, Virum Clarissimum IANUM BAKIUM, cuius indolem et doctrinam cuncti cum admiratione suspiciunt, ob aetatem septuagenariam rude donatum, publicis lectionibus finem impositurum esse. Nullus erat quin ingenti animi aegritudine secum reputaret, BAKIUM cathedram academicam esse relicturum, nec postea conscensurum. Temperabat tamen hanc aegritudinem interior grati animi sensus, BAKIUM non alia de causa, quam ob aetatem septuagenariam, munere academico decessurum. Quod quum cuncti intelligerent, ingens erat omnium cupiditas, BAKIUM audiendi, ultimum ex cathedra literarum disciplinam illustrantem. Fuit extrema haec BAKII lectio insigne documentum, quanti in Academia Lugduno-Batava fiat vera et accurata doctrina. Tanta erat audientium frequentia ut, multis rogantibus, auditorium literarium cum auditorio maiori

permutaret, quod ipsum spissam illam coronam capere vix potuit. Non discipuli tantum, sed, quod vere dicere licet, omnes huius Academiae bonarum artium studiosi aderant: omnes collegas, multos ex honestissimis huius urbis civibus et plurimos pristinos discipulos intuebatur. Ingentem plausum, Bakio, auditorium ingredienti datum et cathedram conscendenti, excepit silentium venerabundum, quum docendi initium esset facturus, et singuli metuere videbantur ne vel una syllaba sibi periret eorum quae Bakius ex cathedra esset dicturus. Ego si verba laudarem, quae audivimus, ineptus essem, sed animi affectum quo audita sint, silentio praeterire non licuit. Quum vero Bakius perorasset Cobetus surrexit, quot quantaque collegae et discipuli viro carissimo deberent, explicaturus. Diserte, docte et graviter, ut solet, paucis quasi adumbravit verbis, quid esset quod Bakium omnes amore, reverentia et admiratione complecterentur, et maximus audientium plausus ea eum locutum esse testabatur, quae quisque, simili doctrinae copia et dicendi facilitate, dicturus fuisset. Ex interno pectore Bakio et Cobeto gratias agimus, quod uterque orationem typis describi non recusaverit. Ita enim verba haec praeclara, qualia semper Bakii et Cobeti esse solent, non tantum nobis servata sunt, sed quum posteri, remotiori aevo, Bakium doctrinae praestantia insignem laudabunt virum, quem Neerlandia protulit, brevis illa Cobeti allocutio testabitur, Bakium aetatem vixisse se dignam, nec aequales invenisse ingratos. Tu ne aegre feras, honoratissime Baki, palam me hic professum esse, quanti laudem faciam, quae ab omnibus tibi tribuitur, quam te nec postulare, qua nec indigere te scio. Est viri non mediocriter docti et praestantioris scientiae laudem aspernari, sed uni duntaxat in nostra patria viro docto licet, sine admiratione Bakii nomen pronunciare, et ille unus tu ipse es. Nos, qui te cognitum vere admiramur, tua hac modestia abuti non decet, ne forsitan nos accuset posteritas. Eximia enim Cobeti allocutio, quam hoc ipso loco audivisti, iam nil nisi quod verum est contineret, si tu, tuo more, solum disciplinae vixisses, quae tibi erat mandata, in qua regnas. Sed multo plura fecisti. Quae in universum artibus et disciplinis, quae humanitati, quae patriae saluti esse iudicabas, prudentem te et diligentem habebant patronum. Tibi quod ipse debeam, tacere si possem, ingrati hominis partes agerem. Nullum enim inveni qui me, disciplinae meae

pro viribus prodesse conantem, tantopere sustentaret, mihique alacritatem et ardorem adeo adderet. Incredibile est dictu quae susceperis, quaeque egeris, ut apta in Academia nostra Astronomiae sedes esset. Accipias velim solemnes gratias quas ego, et omnes, quotquot Astronomiae bene cupimus, tibi publice agimus. Utinam perpetua tibi concederetur iuventus, ut Patria et Academia te semper possideret; at quum nulla humana prudentia naturae necessitati eripere te possit, Deo Optimo Maximo gratias agimus, aetatis tantum causa vacuam te reliquisse cathedram, et nos a te non esse relictos aut te orbatos. Faxit Deus Optimus Maximus ut longa tibi etiamnum vita contingat. Senectus tua, te tuisque florentibus, laeta valetudine et integris exhilaretur viribus, et quae serius tibi cadat vitae terrestris nox, quietus sit in aeternam beatorum vitam transitus.

Ex ordine virorum clarissimorum hodieque amicum desideramus, qui, in alia terrarum orbis regione, procul dubio diem natalem huius Academiae recordatur, et animo nobiscum esse studet, quamvis longissime a nobis remotus. Clarissimus DE VRIESE a Rege Augustissimo in Indiam Orientalem missus est, agri culturam moderaturus, ex qua, per multos annos, ingens pecunia rediit in patriae aerarium. Quum constet inter omnes, patriam illo culturae reditu carere non posse, vix satis laudari possunt summi Regis magistratus, quod iusto tempore curaverint, ne coloniae fructus patriae perirent, sed uberius perciperentur. Publica auctoritate peritus botanicus in Indiam Orientalem missus est, qui culturae conditionem accuratius exploret, et summo magistratui indicet, quid emendandum aut amplificandum esse videatur. Gravis et honorica haec missio a Rege Augustissimo VRIESIO nostro mandata est, cui muneris professorii vacatio in triennium, illi legationi, concessa est, salvo tamen honore et iure professoris ordinarii. Iam in terras quo tendebat delatus est, ac speramus ut sanis et integris viribus provinciam sibi mandatam pulchre administret. Ut suo tempore ad nos redeat optamus, et egregie meritus de patria et disciplinis, per longam annorum seriem, Academiae Lugduno-Batavae sit ornamentum.

Etiamsi BAKIO rude donato et VRIESII in Indiam abitu duae cathedrae vacuae relictae sint, laeta nobis persuasio est neutrum disciplinis periisse aut patriae, quoniam uterque, etsi aliter quam antea soleret, publica doctrinarum commoda sit curaturus. Neque est quod doctrinae iacturam fecerint, quia Clarissimus VAN BREDA a Rege Augustissimo sit rude donatus, quandoquidem multos annos in Academia Lugduno-Batava docere non solebat, sed, Societati Hollandiae Scientiarum ab actis, suo munere strenue fungebatur; quod, ut speramus, in patriae honorem diu adhuc gerat. Sex nunc habemus professores rude donatos, quos omnes et valere et in otio patriae et disciplinis quantum vires sinunt prodesse, et literarum studia honestae quieti praetulisse, gaudemus, quae iure illi aetati conceditur. Qui omnes si merito laudantur, quod iuvenile boni, pulchri et veri studium senectutem delere non passi sint, quis nostrum non maxime optat et summam felicitatem esse arbitratur, ad eam senectutem pervenire, cuius pulcherrima exempla praebent Clarissimi TYDEMAN et VAN HENGEL; quos ob egregias ingenii dotes et doctrinae laudes cuncti admirantur et verentur, et octogenaria fere aetate, vegetis adhuc animi et corporis viribus esse laetamur. Nil magis in votis est, quam ut Academiam Lugduno-Batavam diu adhuc ornent, et fructus vitae, strenue ad salutem ecclesiae, patriae et doctrinarum peractae, senectutem diutius recreent.

De iis hucusque collegis honoratissimis verba feci, qui, aut rude donati, aut ad alia negotia missi, docendi provincia abierunt. Si quidem quod iis contigit doloris nobis caúsa vix esse potest, felicem me praedico, qui non nisi bona et laeta memorare possim de iis viris clarissimis, qui munere gravissimo et difficili adhuc summa cum sanctitate funguntur. Praecipue cum te intueor, honoratissime et carissime VERDAM, sentio quantas gratias Deo Optimo Maximo agere nos deceat, pro fausta sorte quae, per annum proxime praeterlapsum, Academiae Lugduno-Batavae contigit. Probe memini, quanta esset Academiae cura quum, ante paucos annos, in gravem incidisses morbum, qui sibi et nobis irreparabile damnum minaretur. Non multum abfuit quin nos, collegae tui, nobilem et integerrimum amicum

desideraremus, discipuli optimum praeceptorem amitterent. Sed Deus benignus in nostram gratiam tibi pepercit et quamvis imbecilla valetudo et perpetuus dolor te vexent, nobis omnibus exemplum fuisti diligentiae et strenue peracti officii. Superior annus tibi multas attulit aerumnas et curas, quas tibi dura augebat, unicae quam habes, filiae, in aeternum fortasse valedicendi necessitas. Nullus tamen dies te non invenit munere diligenter fungentem. Nemini discipulorum ad te aditus non patuit, qui tuam opem imploraret. Nullus te sollertior et diligentior, disciplinis aut Academia postulantibus. Quid mirum quod te omnes amant et admirantur. Accipe hic palam nostram omnium gratiarum actionem pro his virtutibus, et vero amicitiae, reverentiae et admirationis significationem. Accipe, eadem laetitia, qua nos te repentino novo honore ornatum esse accepimus, insigne illud ornamentum meritorum tuorum, quo quanti te faceret Rex noster Augustissimus his ipsis diebus declaravit. Faxit Deus Optimus Maximus ut valetudo tua confirmetur et aliquando integra sanitate ad felicem et summam senectutem pervenias, annorum, multis difficultatibus peractorum, optatissimam compensationem.

Quod vobis, Clarissimi Simon Thomas et Halbertsma, et collegae nostro Dozy anno praeterlapso tandem aliquando contigit, non alium excitare potuit sensum nisi summae laetitiae. Quicumque institutionem academicam in hac patria nostra magni facit, magno secum dolore reputavit omnia Professoris ordinarii officia vobis imposita, sed honores iustos et iusta emolumenta fuisse negata. Quod maxime collegae vestri aegre ferebamus, qui recte intelligeremus quo improbo labore quisque vestrum disciplinas doceret sibi mandatas. Gratulamur vobis quod summi Regis magistratus tandem vestram virtutem iusto pretio aestimaverunt. Nostras gratias accipere ne dedignemini pro iis, quae iam in salutem adolescentiae, bonarum artium studiosae, fecistis, et pia vota facientes nos audire velitis, ut cuncta, quae in posterum facturi sitis, Deo Optimo Maximo annuente et adiuvante, suscepta esse sentiatis.

Duo, anno praecedenti, Academiae Lugduno-Batavae accesserunt ornamenta. Regi Augustissimo placuit Clarissimum Hulleman Bakio successorem dare, et Botanices institutionem, Vriesio absente, Suringario, Professori extraordinario, mandare. Quod ex hac cathedra Virum Clarissi-

mum Hulleman collegam salutare non licet, perquam doleo: gravi nimirum morbo implicitus orationem inauguralem iusto tempore habere, nec lectiones auspicari, potuit. Clarissimus Cobetus de Literis Latinis scholas continuavit, quas vacante cathedra benevole susceperat et quibus ante ferias brumales finem iam imposuerat. Academiae est maximas habere gratias Viro Clarissimo Cobeto, quem ad illa negotia suscipienda tam paratum invenerit. Speramus fore ut Clarissimus Hulleman, valetudine integra, cito munus sit occupaturus, quod sine dubio honorificentissime geret.

Iucundissimum mihi accidit, amicissime Suringar, tibi provinciam absentis praeceptoris, honorifico titulo, esse mandatam; quae provincia perpetuum erit vinculum, quo Academia Lugduno-Batava tecum continebitur. Vix annus est ex quo, unus auditorum diligentissimorum, Astronomiae, Mathesi et Physicae operam dabas, ac si disciplina, quam prae ceteris amas, tibi numquam munus quoddam publicum esset partura. Ante hos paucos menses Rector Magnificus te, novum Matheseos Magistrum Philosophiae Naturalis Doctorem creatum, gratulatus sum, et nunc iam te collegam salutare licet. Eximia et rara tibi contigit fortuna aut felicitas, quod te totum nunc dare potes disciplinae, quae tibi plurimum cordi est, et iuvenili aetate munere es ornatus, quo viri, doctrinae laudi et vitae usu eximii, perquam honoratos se esse iudicarent. Quod tamen Hoekium nostrum nuperrime monebam, quum eum Matheseos Magistrum et Philosophiae Naturalis Doctorem, ex ordinis Mathematici decreto, crearem, nunc maxime in te cadit, multum scilicet ab eo iure postulari, cui magna committuntur. Deus tibi naturam felicem largitus est. Industria et recte agendi voluntas numquam tibi defuerunt. Quantacunque sint quae a te exspectamus, exspectationem superare poteris, et facies certo, quamdiu modestiae laude, quae hucusque te ornavit, florebis, et Deus tibi valetudinem integram et animi vires concedet. Ingredere igitur strenue vitae viam, quam tibi patefactam cernis, auxilium eius implorans, sine quo nihil est humana imbecillitas. Ita, beatus virtute, de disciplinis et Academia Lugduno-Batava bene merebis.

Quod maxime optaveram ut Academiae fasces deponens honoratissimis collegis gratulari possem vitam, nulla tristitia, per annum proxime praeterlapsum, perturbatam, ea felicitas mihi, proh dolor, non contigit. Nonnulli enim carissimos consanguineos aut affines, morte exstinctos, lugent. Vehementer eorum nos dolor commovit, eosque solatium invenisse speramus, ex hac cogitatione, cuncta Deum sapienter regere et nullius vitam temere exstingui, sine amantissimo Divinae Providentiae consilio. Solatium iis literas attulisse speramus et disciplinas, quarum studium vitae humanae tristitiam lenire solet quam plurimum. Ardens illud disciplinarum et literarum studium, ut fata prioris anni demonstrant, maxima Professorum in Academia Lugduno-Batava delectatio esse solet. Multi enim, variis negotiis districti, libris scribendis et edendis, quantus disciplinarum amor esset egregie testati sunt. Meum non est de scriptis illis, pluribus quam quae hic recenseam, iudicium ferre. Res memorasse sufficeret, nisi iniuria quaedam mihi repellenda esset, quam praecedenti anno Rector Magnificus, quum Academiae fasces deponeret, collegae intulit spectatissimo. Mos vetus est et laudabilis, Rectorem Magnificum oratione, die Academiae natali habenda, honoris insignia memorare, quibus Rex Augustissimus viros clarissimos ornavit. Praecedenti anno publicam tamen desiderabamus mentionem, Virum Clarissimum IOHANNEM HENRICUM SCHOLTEN equitem ordinis Leonis Neerlandici esse creatum. Liceat mihi, amicissime SCHOLTEN, etsi serius quam par est, profiteri, magni nos omnes fecisse Regiae illud benevolentiae documentum, idque eo pluris, quod eo tempore non deessent, qui de doctrina atque fidei tuae sinceritate querelae atque doloris voces effunderent. Tibi hunc honorem et tua causa gratulamur, et quoniam unicuique patuit, summos patriae et Regis magistratus iusto pretio statuere sacrae scripturae interpretationem quae bona fide, subtiliter et ingeniose instituta, vulgi clamores contemnit, quos eliciunt doctioris disputationis inventa. Regiae benevolentiae ornamentum, discipulorum amor et collegarum veneratio eam tibi mentem addant, ut quietus laborem perficias, quem vitae finem statuisti. Qui labor utinam multum lucis adferat iis rebus, quas omnes summum bonum esse existimant, qui hominis praestantiam intelligunt, et Deo Optimo Maximo vitae rationem reddendam esse sentiunt.

Quodsi satis laudari vix possunt, qui, doctores academici, omni virium contentione adolescentium studia moderantur, iusta virtutis laus neque ei deneganda est, qui nec professoris titulo ornatus aut emolumentis obligatus, scientiae alacritate et diligentia, institutioni academicae profuit quam plurimum. Agnoscit tuam virtutem et gratias tibi agit Academia, Doctissime Boogaard, ob egregias lectiones de Anatomia pathologica et generali, demonstrationibus microscopicis illustrata, quas, communi omnium plausu, habere soles. Tempora ne nimis remota sint, quibus eximia tua doctrina, quam Nobilissimus Ordo Medicorum uno ore celebrat et laudat, munere te digno ornetur, quo pluribus prodesse possit, qua, inter ceteros, excellis doctrinae copia. Ne quid de Academiae Lugduno-Batavae honore omittam, memorandum mihi superest, Virum Doctissimum Land, egregium Academiae alumnum, petente Viro Clarissimo Iuynboll, a Rege Augustissimo Londinum missum esse, ut exploret et, in incrementum Bibliothecae nostrae, describat manuscripta complura Syriaca, quibus Museum Britannicum gaudet. Quae praeclarus iuvenis Londini iam peregit, multa promittunt ad linguae notitiam amplificandam, cuius studium hucusque, fontibus deficientibus, iacebat. Neque silentio praeterire possum, quas amicissimi et doctissimi Bosscha et Hoek, de rebus Physicis et Astronomicis, publicarunt lucubrationes, quibus disciplinarum et patriae gloria crescit. Iis aliquando haec virtus fructus afferat uberrimos.

Vos dum alloquor, carissimi Academiae Lugduno-Batavae Cives, non possum non gratias agere pro benevolentia singulari, qua facile et gratum Rectoris Academici munus mihi fecistis. Quamvis paucissimi vestrum disciplinae meae operam dare teneantur, quorumque ideo studia moderor, multos tamen inter vos habeo commilitones et familiares, quos disciplinarum studium ad me allexit. Plures fere quam ducentos vestrum, ignotos antea, ut praesens praesentes intuerer et alloquerer, Rectoris officium postulavit. Mihi, etsi breviter confabulantes vos audienti, magnopere confirmata est opinio, quam de vestra honestate et modestia habebam. Reticere non licet, quod in vestram laudem dici potest. Morum disciplina in Academiis patriae

nostrae Rectori et Assessoribus mandata est; sed, per totum Rectoratus mei annum, coetus non fuerunt, quibus iuvenilis quidam error esset notandus. Quod si memorabile documentum vestrae modestiae habendum est, plurimi vestrum, sive scholarum auditores, sive examinibus institutis, demonstrarunt, quanta industria et discendi alacritate bonarum artium studiis operam navarint. Duo cives Academiae Lugduno-Batavae, Ornatissimi GUSTAVUS FREDERICUS SICHEL, Iuris candidatus, et IANUS KNAPPERT, Theologiae studiosus, commentationibus, in certamine literario Academiae Groninganae, a se conscriptis, iustam et debitam laudem meruerunt; et quid Academiae Lugduno-Batavae studiosi valeant, indicabunt quae, Regis auctoritate, mox distribuentur, in nostro certamine honestissimo, victoriae praemia. Omnes illae virtutes, quas, diuturni temporis usu edoctus, Academiae alumnis tribuendas esse censeo, eximie ornabant carissimum amicum, commilitonem vestrum, ANTONIUM DU RIEU, quem immatura morte interiisse ex intimo pectore dolemus. Quoties eum admiratus sum, aequo animo carentem multis beneficiis et voluptatibus, quibus Academiae cives gaudent! Colebamus iuvenem ut exemplum pietatis in parentes, probitatis, integritatis, mirae in officiis peragendis diligentiae. Deo visum est e vita, quam felicem optabamus, eum evocare, ut iam nunc, iuvenili aetate, virtutis praemium apud beatos acciperet. Carissimi Cives Academiae Lugduno-Batavae, dubitare non potestis, quin toto animo et pectore vobis sim devinctus, nolite igitur aspernari consilium meum fraternum; meas audiatis preces fraternas, quas subita et immatura mors carissimi nostri DU RIEU provocat. Ita continuo vos geratis, ac si vos Deus, ut eum, improviso in iudicium esset vocaturus. Ita vivite ut si, quod Deus avertat, et vos iuvenes inexspectata mors opprimat, cognati et amici aeque minus de aeterna vestra salute desperent, ac illi qui carissimum commilitonem deplorant. Rectam viam pietatis et virtutis nolite relinquere, ut, quam Deus vobis largiatur, vita sit felix, et beata aeternitas.

Quaecunque mihi de iis, qui munere quodam in Academia Lugduno-Batava funguntur, aut aliquo officii vinculo ei coniuncti sunt, non reti-

[illegible] esse videbantur, ea vobis singula, quantum potui, enarrare conatus sum. Brevis accedat necesse est expositio de iis doctrinarum adminiculis, quae institutioni academicae promovendae et adiuvandae comparata esse videntur. De quo argumento dicenti, ante oculos mihi est pulchrum illud et amplum aedificium, quod, fundamentis anno abhinc vix positis, nunc iam partem exteriorem absolutam et perfectam habet. Iam nunc, licet interiores aedificii partes multum operis adhuc postulent, affirmare possumus, Academiam Lugduno-Batavam, novo aedificio absoluto, disciplinarum omnia et adminicula habituram, quae iure cum exterorum adiumentis optimis comparare possis. Prae aliis memoratu digna est praeclara ratio, qua ea aedificii pars instructa est, quae chymiae erit destinata; amplum auditorium; idonea loca quibus instrumenta servabuntur complura, quae Academiae iam comparata sunt; plura laboratoria, variis chymicis experimentis instituendis. Gratulamur Clarissimo VAN DER BOON MESCH (quem tristissimae calamitatis memoria hic adesse vetat), laetam exspectationem quam de chymico laboratorio, mox exstructo, fovet, speramusque fore ut in novo quoque hoc aedificio disciplina chymiae diligentissime exculta, conspicua sit, et quam maxime in patriae laudem floreat. Idem optamus honoratissimis collegis RYKE et HALBERTSMA, quorum hic Anatomiae, ille Physices laboratoria, auditoria et horrea inveniet, in eadem domo, quibus suppellex disciplinae et lectionum usui destinata condere poterunt. Clarissimo GEELIO gratulamur quod, ex Anatomices in novam sedem, quae instat, migratione, Bibliothecae spatium amplum sit accessurum, quod quam optandum sit et quamdiu in votis fuerit, unicuique notum est.

De Museis academicis universe testari licet, singula, ingenti praefectorum cura et diligentia, servari, et pecuniam, quotannis ad ea augenda concessam, magno cum fructu impendi. Instrumenta physica, chymica et oeconomiae ruralis, Museum anatomicum, Hortus botanicus, herbaria, monetarum et nummorum collectio, simulacra gypsea, picturae sculptae et impressae, descriptiones, ita servantur et reguntur, ut vere patriae sint ornamento. Nosocomium academicum, quod necessario condendum aut amplificandum esse iam diu fuit intellectum, permultas excitavit deliberantium disceptationes, at nunc tamen tempus instare videtur, quo manus operi admovebuntur. Optamus fore ut laeta haec spes, novis infortuniis,

ne frustretur, utque propediem Nosocomium academicum exstruatur, gloria dignum, quam Ordo Medicorum Academiae Lugduno-Batavae iam diutius apud cives et exteros nactus est.

Quam vellem de auxiliis astronomicis in Academia Lugduno-Batava prorsus silere liceret, quod quominus faciam impedit metus, ne quis silentium illud perperam interpretetur. Si enim dicendum est de suppellectile astronomica, quam nunc habemus, de novo repetenda erunt, quae tot annos dictitavi, eam patriae nostrae magnopere dedecori esse. Triginta unus anni sunt et quod excedit, ex quo Speculae Astronomicae in Academia Lugduno-Batava coniunctus sum. De me ipso sine iactatione dicere mihi licet, semper me dedisse operam, ut, exiguis auxiliis quae aderant, Academiae et disciplinae meae commoda adiuvarem. Quae feci, nec exteri, nec cives nostri parvi duxerunt, sed summi patriae magistratus omnia neglexerunt, quibus effici posset ut eodem tenore mihi pergere liceret. Imo institutionis academicae auxilia desiderassem, nisi Curatores Academiae Amplissimi ex aerario, quod civium academicorum tributis alitur, quotannis aliquam suppeditassent pecuniam. Ante hos quinquaginta et quinque annos Clarissimus van Beeck Calkoen, in hac Academia Astronomiae Professor, perquam necessarium esse demonstravit, ut in Academia Lugduno-Batava specula aedificaretur astronomica, quae eo nomine digna esset. Ex eo inde tempore iterum iterumque multi perhibebant, Lugduni-Batavorum speculam astronomicam condendam esse. Pia vota! res iterum iterumque negligebatur. Ante aliquot annos tamen ex cunctis patriae regionibus tot voces effundebantur illam negligentiam indignantium, studiisque astronomicis in Academia Lugduno-Batava faventium, ut de illius disciplinae conditione in Academia nostra melius sperandum esse videretur, sed summi magistratus illas voces non audiebant. Tandem, ante hos octo menses, referente novo Rerum Internarum Ministro Regio, Ordines Generales decreverunt ut pecunia, speculae astronomicae aedificandae, ex aerario erogaretur. Multis annis ante omnia iam perfeceram, quae paranda esse videbantur, siquando de specula condenda decretum factum esset. Sic enim putabam, pecunia ex aerario erogata, manum statim operi admotum iri, sed hoc ipso tamen die ignotum mihi est, quo tempore ipsa aedificatio initium sit habitura. Longe a me abest morae illius culpam alicui im-

putare, neque ego si vellem indicare possem, nam illius morae causa me latet. Architectum non defuisse, palam profiteri me decet, quippe qui, iam ante menses aliquot, descriptiones suas et commentarios de singulis aedificii partibus, perfecerit. Quaequae vero novi impedimenti causa sit habenda, dissimulare non possum, plus me spe nunc esse frustratum, quam unquam antea. Multo gravius movet haec cunctatio, ex quo nuperrime, Augustissimi Regis decreto, novum, honestum quidem, sed difficilius et gravius officium mihi est impositum, reipublicae instrumenta nautica moderandi et examinandi. Quum inauguranda erit, tum demum de nova specula astronomica dicendum mihi esse arbitror. Quod tempus num victurus sim, multo iam fractus membra labore, vix aliud quam incertissimum esse duco. Si vivam non sane committam, ut iustae iis laudes desint, quicunque novae speculae aedificandae multa contulerunt. Non memoria excidet, quanta dicendi vi Excellentissimus Gevers van Endegeest, nunc Academiae Curator, apud Ordines Generales, verba fecerit de specula condenda, et nostrates monuerit, ut, nummis civium colligendis, monstrarent, quanti sua interesset speculam condi. Non memoria excidet Academiae Lugduno-Batavae studiosos primos fuisse, qui illam admonitionem alacriter audiverint. Non memoria excidet collegas honoratissimos, suadente Bakio laudatissimo, magnam pecuniae summam pollicendo, quantum ea res iis cordi esset docuisse, eandemque sententiam fuisse doctorum sodalitiis, aut singulis civibus, in omnibus fere patriae regionibus. Neque sane memoria excidet virum, cuius nomen non sine gravi moerore et reverentia eloqui possum, quem ob ingenii praestantiam et candidum pectus amant et admirantur omnes qui norunt, Amplissimum Gerardum Simons, tunc temporis Rerum Internarum Ministrum Regium, tabulis accepti et expensi publicis, speculae astronomicae condendae, pecuniae summam intulisse, quod ille fecisset, etiamsi vox populi non significasset, quanti Astronomiae disciplinam faceret. Vocem mihi opprimere mors poterit in aeternum, priusquam nova specula astronomica inauguranda erit. Propterea hic palam et gratus profiteri liceat, me, continuo auxiliis vel maxime necessariis destitutum, munificentia Curatorum, benevolentia collegarum et amore imprimis discipulorum, confirmatum et sustentatum esse. Propterea cunctis qui futurae speculae astronomicae, omni virium conten-

tione, prodesse conati sunt, tum disciplinarum, tum humanitatis causa, gratias ago quam maximas. Hoc imprimis sciant velim, hanc diligentiam, qua tot tantaque effecerint, Neerlandiae esse gloriae, quam celebrabit aliquando sera posteritas.

Tristior de hac cathedra descensurus essem, si orationis finis faciendus esset in expositione de auxiliis astronomicis in Academia Lugduno-Batava. Gratissimum tamen restat officium, quod quidem mihi contingere potest, bonarum artium studiosis, in certamine literario victoribus, praemia tradendi, quae ex Regis munificentia et liberalitate iis condonantur. Lex de institutione Academica, ut primum lata est, iubebat quotannis in Academia Lugduno-Batava decem et in Academia Ultraiectina, itemque in Groningana, sex quaestiones proponi, Academiarum et Athenaeorum alumnis commentandas. Auctori responsionis cuiusvis, quam omnium praestantissimam esse ordines iudicassent, nummus aureus decernebatur; ipsaque commentatio, sumtibus publicis, typis descripta, in publicum edebatur. Anno millesimo octingentesimo trigesimo sexto perversa parsimonia factum est, ut, singulis annis, una ex Academiis, sua vice, septem quaestiones proponeret et commentationes praemio ornatae non amplius publicis sumtibus typis describerentur nec ederentur. Biennio post certamen illud literarium prorsus sublatum est. Ex eo inde tempore Academiarum professores, suis sumptibus, certamen literarium indixerunt, quod tamen clanculum fiebat, ita ut die natali praemia victoribus non distribuerentur. Ante hos sex annos Regi Augustissimo, regia munificentia, restitui placuit certamen illud, quod, haud sine iuventutis studiosae detrimento, erat sublatum. Decrevit enim Rex Augustissimus ut, singulis annis, una ex Academiis in nostra patria certamen literarium indiceret, suisque sumtibus aureos nummos cudendos curavit, quibus ornarentur victores. Insigne illud regiae benevolentiae documentum, iuvenibus bonarum artium studiosis datum, quod grati accepimus, satis laudari non potest. Anno praeterlapso, quum ad Academiam Lugduno-Batavam vices venerant, quaestiones a nobis propositae sunt, ad quas et quo eventu responsum fuerit, demonstrabunt iudicia, quae singuli ordines de commentationibus sibi missis tulerunt, quae iudicia

Virum Clarissimum, qui Senatus Academici acta curat, ut recitare velit rogo. Vos vero, Nobilissimi iuvenes praemio ornandi, ut suum quisque nomen renuntiari audiet, ad me deinceps accedite.

Honorificum iudicium, Amicissime DE LOOS, quod ordo Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum de tua commentatione tulit, omnino convenit laudibus, quas, ob scientiam et diligentiam, in Academia iam nactus es. In discipulis carissimis et amicis te magni facio, propter ingenium et propter candidum pectus. Gratissimum mihi accidit hoc honoris praemium, Regis auctoritate, tibi tradere. Illustre hoc regii favoris documentum, maius excipiat praemium, quod neminem fugit, qui, ut tu facis, doctrinae amans et scientia et usu proficiens, modestiam, honestatem et virtutem summum bonum esse iudicet.

Altera vice tu hic ades, Amicissime VAN DER VEN, ut aurum auferas, quod diligentia tua tibi parasti. Tertio abhinc anno Astronomiae practicae, nunc Matheseos purae praemium tibi debetur, quo opere probasti, rationem in te esse iunctam usui et arti, quae coniunctio doctorum praestantiam auget. Gratulor tibi hanc virtutem; gratulor tibi dexteritatem et sagacitatem, quibus flores: multo magis tamen gratulor virtutis principia, quibus omnia reguntur quae facis. En aureum nummum, alterum quo a Rege donaris. Incitamento tibi sit ad sedulo pergendum in vasto illo disquisitionis campo, quem iam ingressus es; quod si feceris, monumentum tibi exiges, pulchrius et perrennius quam nobile illud metallum, quo primitiae tuae ornantur.

Historia, Praestantissime MOSSELMANS, testis sit tua commentatio, peritum te et diligentem nacta est cultorem. Excitet te hoc honoris praemium, ut perpetuo huic disciplinae des operam, sagacissimeque exercere criticen pergas, cui rei quam idoneus sis, demonstrasti. Conaminibus, procul dubio, fructus haud deerunt, magnaque nos tenet spes, fore ut tibi felicem vitam sint partura, qua spe non deiicieris, si ea virtute esse pergas, quae tibi omnium amorem conciliavit.

Tibi, Praestantissime BRONSGEEST, quod tradam non habeo nisi honorificum testimonium, quod te non adspernatum esse magnopere gaudeo. Recte tu fecisti; demonstrat enim hoc ipsum testimonium te diligentia et doctrina plurimis antecellere; testatur te viam honoris felici successu esse ingressum; quam viam relinquere noli, ut, quas nunc iam laboris et studiorum primitias demessus es, laeta seges sequatur.

D 20 Martii. PETRUS WIERDSMA SCHIK, Leovardiensis, defenso Specimine: *Over de staatsregterlijke geschiedenis der staten van Friesland van* 1581—1795, Iur. Rom. et Hod. Doctor. *magna cum laude.*

D. 26 Martii. WARNERUS GUILIELMUS VAN LENNEP, Amstelaedamensis, *publice* defenso Specimine: *De leer der opzeggingen en stilzwijgende wederinhuring van woningen en landerijen, volgens ons Burgerlijk Wetboek*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Martii. ADRIANUS KNAPPERT DE GROOT, Schiedamensis, *publice* defenso Specimine: *De vaderlijke magt naar het oud Nederlandsch regt*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 4 Aprilis. BONIFACIUS CORNELIUS DE IONGE, Haganus, defenso Specimine: *Over de possessoire actiën van het oud Hollandsch regt in verband met die van het Burgerlijk Wetboek*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 20 Aprilis. IOHANNES GUILIELMUS MUNTZ, Lemmera-Frisius, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 24 Aprilis. BENIAMIN ELIAS COLAÇO BELMONTE, Amstelaedamensis, *publice* defenso Specimine: *Over de hervorming van het regeringsstelsel in Nederlandsch West-Indië*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 29 Aprilis. NICOLAUS IANUS VAN YSSELSTEYN, Goesanus, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doctor, *publice* defenso Specimine: *Over den invloed van de kerkelijke wetgeving der middeleeuwen op den regtstoestand in Nederland*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 30 Aprilis. HELENUS MARIUS VAN ANDEL, Briellanus, *publice* defenso Specimine: *Over de onteigening ten algemeenen nutte volgens de wet van* 28 *Augustus* 1851, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 16 Maii. FREDERICUS IANUS GUILIELMUS FLORENTIUS VAN PALLANDT TOT WESTERVOORT, Arnhemiensis, defenso Specimine: *Eene rechtsvraag uit het tiendrecht*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 28 Maii. EDUARDUS GYSBERTUS ADRIANUS ROMME, ex pago Terheyden, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 29 Maii. IANUS DIONYSIUS VIRULY, Roterodamensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 30 Maii. GUILIELMUS MARINUS FRIESWYK, Haganus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 30 Maii. IOHANNES BARENDINUS VAN OSENBRUGGEN, Haganus, *publice* defenso Specimine: *De regten en verpligtingen van den regter-commissaris in het Nederlandsch Faillieten-regt, vergeleken met die in de Belg. wetgeving van* 8 *April* 1851 *en de Pruissische van* 8 *en* 9 *Mei* 1855, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 3 Iunii. FREDERICUS IACOBUS BREVET, Ysendico-Zelandus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 6. Iunii. IACOBUS GERARDUS DOORNIK, ex insula Java, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 11 Iunii. IANUS DE WITT, Indo-Batavus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 12 Iunii. CORNELIUS CANTER VISSCHER, Rysvicensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 15 Iunii. ABRAHAMUS WOLFFIUS IACOBSON, Haganus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 22 Iunii. IOHANNES GERARDUS RENGERS HORA SICCAMA, ex pago Hoogezand Groninganus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 24 Iunii. PETRUS STANISLAUS IOHANNES VAN HAL, Bredanus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. NICOLAUS IOHANNES VAN LUTTERVELT, Tielanus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. GUILIELMUS VAN DER KAAY, Alcmariensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 25 Iunii. CONRADUS MARGARETHUS VAN DER LEEUW, e pago Hoevelaken, defenso *publice* Specimine: *Over de tucht op de koopvaardijschepen*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. ADOLPHUS IANUS DIDERICUS VAN RECHTEREN, e pago Apeldoorn, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 26 Iunii. ABRAHAMUS IULIUS VAN EMDEN, Paramariboensis, defenso *publice* Specimine: *Over de onschendbaarheid van de leden der volksvertegenwoordiging*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. DIONYSIUS EVERWYN, e pago Voorthuizen, defenso Specimine: *Abraham van Wicquefort en zijn proces*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 27 Iunii. GERARDUS ANNAEUS VAN DOORN, Rheno-Traiectinus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod Doctor.

Eodem die. HENRICUS ROCHUSSEN, Amstelaedamensis, *publice* defensa Dissertatione Iuris gentium inaugurali: *De occupatione bellica bonorum privatorum, in bello maritimo*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. IOHANNES GUILIELMUS STEPHANUS VAN DER AA, Amstelaedamensis, *publice* defensa Dissertatione: *De origine et natura patriae potestatis Romanorum*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. FREDERICUS VAN OLDEN IR., Palembangensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 24 Iulii. FRANCISCUS CAROLUS VALCK, ex insula Iava, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 26 Septembris. ABRAHAMUS MAKKERS, Harlemensis, *publice* defenso Specimine: *Over de voogdij der regenten in de gestichten van weldadigheid*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 6 Octobris. GERARDUS IANUS BERNARDUS HENNY, Zutphaniensis, *publice* defenso Specimine: *De bekentenis volgens de Nederlandsche wetgeving*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 31 Octobris. HENRICUS DAVIDES LEVYSSOHN NORMAN, Haganus, *publice* defenso Specimine: *De Britsche heerschappij over Java en onderhoorigheden* (1811—1816), Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 26 Novembris. LUDOVICUS BERNARDUS HUBERTUS VAN RYCKEVORSSEL, Sylva-ducensis, *publice* defenso Specimine: *Over de olographische testamenten*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 1 Decembris. FREDERICUS GUILIELMUS NICOLAUS SURINGAR, Lugduno-Batavus, *publice* defenso Specimine: *De Nederlandsche en Belgische wetgevingen betrekkelijk de Rehabilitatie in handelszaken, onderling vergeleken*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 4 Decembris. IANUS CAROLUS BALTHASARUS THEODORUS NEDERMEYER VAN ROSENTHAL, Arnhemiensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 10 Decembris. SAMUEL LE POOLE, Lugduno-Batavus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 12 Decembris. IANUS VAN DER IAGT, Haganus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 22 Decembris. ADRIANUS VAN WESSEM, Tiela-Gelrus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. HENRICUS AUGUSTUS BLUME, Lugduno-Batavus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 6 Februarii. ALEXANDER THEODORUS HENRICUS GERARDUS VAN LAMSWEERDE, Zutphaniensis, *publice* defenso Specimine: *De Nederlandsche wet op de echtscheiding in betrekking tot die van andere staten*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. 15 Iunii. PETRUS DE IONG, e pago Nieuwveen, *publice* defenso Specimine: *De psalmis Maccabaicis*, Theol. Doctor, *magna cum laude.*

D. 16 Iunii. FRANCISCUS RAUWENHOFF, Amstelaedamensis, *publice* defenso Specimine exhibente *Pauli sententiam de vita in homine aeterna, peccato oppressa, a Christo restituta*, Theol. Doctor, *magna cum laude*.

D. 23 Iunii. IOHANNES MARINUS VORSTMAN, Roterodamensis, *publice* defenso Specimine: *De Testamentorum XII Patriarcharum origine et pretio*, Theol. Doctor, *magna cum laude*.

D. 5 Octobris. IOANNES PETRUS NICOLAUS LAND, Delfensis, *publice* defenso Specimine: *De Carmine Iacobi Gen. XLIX*, Theol. Doctor, *magna cum laude*.

Eodem die. IOHANNES GERHARDUS RICHARDUS ACQUOIJ, Amstelaedamensis, *publice* defenso Specimine continente *Gerardi Magni Epistolae XIV, e codice regio Hagano nunc primum editae et perpetua annotatione, quo melius et ipse et tempora eius cognoscantur, instructae*, Theol. Doctor, *magna cum laude*.

ACADEMIA

RHENO-TRAIECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. XXVII M. MARTII CIƆIƆCCCLVII AD D. XXVI M. MARTII CIƆIƆCCCLVIII

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

LUDOVICUS CHRISTIANUS VAN GOUDOEVER.

SENATUS ACADEMICI GRAPHIARIUS

IACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS.

IN FACULTATE MEDICA.

B. F. SUERMAN (Emeritus).
I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.
G. I. LONCQ, CORN. IAN. FIL.
F. C. DONDERS.
L. C. VAN GOUDOEVER, a die 24 m. Iunii Prof. Ord.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE.
R. VAN REES.
C. A. BERGSMA.
G. I. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT, a die 24 m. Iunii Prof. Ord.
I. A. C. OUDEMANS, mense Septembri in Indiam Orientalem profectus, munere ornatus Praefecti rei Topographicae constituendae.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN.
H. E. VINKE.
B. TER HAAR.

IN FACULTATE IURIDICA.

A. C. HOLTIUS (Emeritus).
I. ACKERSDYCK.
G. W. VREEDE.
B. I. LINTELO DE GEER.
I. VAN HALL.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

A. VAN GOUDOEVER (Emeritus. Obiit die 7 m. Septembris).
I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD (Emeritus).
L. G. VISSCHER.
S. KARSTEN.
C. G. OPZOOMER.
I. A. C. ROVERS.
H. C. MILLIES.

LECTORES.

G. DORN SEIFFEN, Lit. Humaniorum.
I. H. HISGEN, Lit. Germanicarum.
I. VENNING, Lit. Anglicarum.
I. W. GUNNING, Chemiae.

DOCTORES ACADEMICI.

A. C. OUDEMANS.
C. L. VLAANDEREN.

LUDOVICI CHRISTIANI VAN GOUDOEVER

ORATIO

DE

DIFFICULTATIBUS, QUIBUS PREMITUR TUMORUM DIAGNOSIS, DE ERRORIBUS, QUIBUS CHIRURGUS INDE OBNOXIUS EST, DEQUE NOXIIS ET PERICULIS, QUIBUS IDCIRCO AEGRI EXPONUNTUR.

HABITA TRAIECTI AD RHENUM

A. D. XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLVIII,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

QUI PROVINCIAE RHENO-TRAIECTINAE PRAEES, VIR ILLUSTRISSIME!

ACADEMIAE CURATORES, QUIQUE IIS AB ACTIS ES, VIRI AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI!

DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

LECTORES ERUDITISSIMI!

QUI MUNERUM AUT HONORUM AMPLITUDINE ESTIS CONSPICUI, VIRI GRAVISSIMI!

ARTIUM SCIENTIARUMQUE DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI!

VERBI DIVINI INTERPRETES, VIRI VENERABILES!

ACADEMIAE CIVES, COMMILITONES CONIUNCTISSIMI!

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, QUI AD HANC SOLEMNITATEM CONFLUXISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Iam praeteriit annus, quum ex hac cathedra antecessor munus gravissimum mihi detulit, quod, etsi honorificum, aegre tamen sustuli, bene sciens inexperti mihi admodum difficile fore rite ac digne eo fungi. Praeterlapso autem anno valde gaudeo, quod palam affirmare possum, onus, quod suscipere verebar, mihi minus grave fuisse quam credideram, antecessorum auxilium, ubi opus erat, mihi numquam defuisse, collegarum benevolentiam amicitiamque muneris curas ac sollicitudines magnopere allevasse. Quidquid mihi defuerit ad munus bene gerendum, non certe defuit voluntas. Finito anno academico remanet officium, omnium longe gravissimum. Nimirum iubet consuetudo munus solemni oratione successori, ab Augustissimo Rege nominato, tradere et fata simul Academiae enarrare. Munus quidem libenter trado, ut plane denuo ad propria studia ac propria negotia animum vertere possim; eo magis tamen opus,

quod hodie mihi perficiendum est, me pressit, quum ab una parte orator non sum et ab altera parte latinae linguae usus mihi minus familiaris est. Accedit, quod admodum difficile mihi videbatur argumentum idoneum eligere: omnis enim conditionis viros inter vos, Auditores, conspicio; quodsi medici omnes eratis, onus minus grave fuisset faciliusque argumentum elegissem vestra attentione magis minusve dignum. Quod vero medico momenti est, tam multis in medicinae studio non versatis aut minoris momenti videbitur aut forsan minus dilucidum erit. Nolui tamen argumentum tractare a studiis meis alienum; spero fore, ut, quae dicere mihi proposui, tali ratione conscripserim ut ab omnibus intelligi queant.

Non minoris ambitus et forsitan difficilius adhuc quam internae medicinae studium est studium chirurgiae. Quod et de aliis scientiis valet, valet quoque de chirurgia, tempus scilicet venisse, quo unus homo eam in toto ambitu non amplius excolere possit. Idcirco nuperiori tempore plures hanc illamve chirurgiae partem magis ex industria colere coeperunt: hic incumbit in oculorum morbos, ille in aurium, alius in morbos cutaneos, alius adhuc in vitia organorum uropoiesi inservientium, et ita porro. Si forte quis rogat an bonum sit et utile scientiam unam in tot partes dividere, respondeo hac demum ratione cognitionem nostram de morbis oculorum, aurium, cutis, organorum uropoieticorum, uteri, aliorumque corporis partium tam magnos progressus fecisse, eum, qui in una eademque scientiae parte semper et indefessus occupatus est, facilius quam alios hanc scientiae partem elaborare eiusque cognitionem perfectiorem reddere posse. Etsi vero laboris divisio ad scientiam promovendam absque ullo dubio utilis sit, quin necessaria, de praxi idem non eodem gradu valet. Quodsi enim ita esset, pauca profecto loca hocce privilegio fruerentur, longe plurima autem eo orbata forent. Quicunque medicus in pago vel minori oppido praxin exercere cupit, hanc totam exerceat oportet. Poscitur ab eo ut totam scientiam cognoverit omnesque morbos curare sciat. Verum quidem est, medicum, dummodo acuto ingenio praeditus sit, studiaque bene perfecerit, plurima mala curare posse, sed an revera multi sint medici ad exercendam praxin universalem apti, alia est quaestio, ad quam responsum dare hic non locus est. Id tantum dicere volo, universalem istam cognitionem neminem acquirere posse, nisi ampla illi sit occasio haec omnia discendi, nisi

multa videre seque bene in praxi exercere queat. Num haecce occasio apud nos exsistit? Affirmando huic quaestioni respondere cuperem, non possum tamen. Dolendum utique est iuniorem medicum practicam vitam intrare debere absque eo ut omnia aut plurima etiam, quae in praxi occurrere possunt, viderit. Practicam vitam intrat, iam cito eius auxilium imploratur adversus morbum, de quo legit quidem, quem vero nunquam observavit, aut operatio ab eo perficienda est, quam factam antea non vidit. Saepe iustam diagnosin facere valde difficile illi erit, non raro facere non poterit, et quomodo bene curabit morbum, quem non certo dignoverit?

Credunt multi in genere minus difficile esse morbos externos sive chirurgicos dignoscere quam morbos sic dictos internos, attamen valdopere errant, prouti probare conabimur sermonem facientes *de difficultatibus, quibus premitur tumorum diagnosis, de erroribus, quibus chirurgus inde obnoxius est, deque noxiis et periculis, quibus idcirco aegri exponuntur.* De tumoribus tantum dicam, nam quominus de difficili morborum chirurgicorum diagnosi in genere agam, tempus vetat. Neque credite auditores, errores istos in diagnosi a chirurgis tantum imperitis, aut minus peritis saltem, committi; peritissimus quoque chirurgus facile errare potest, etsi omnia artis adminicula illi praesto sint; peritissimo quoque chirurgo accidere potest, ut morbum benignum censeat, qui revera benignus non est, et contra ut insanabilem credat morbum docente eventu omnino benignum. Nonne autem hoc illi accidit, quia adminiculis, quae ars ei praebet, uti neglexit? Non ita, nam non raro ea adminicula eum fallunt, non raro eum illis tantum utentem in errorem ducerent. Saepe morbi symptomata tam fallacia sunt, ut peritissimi quoque chirurgi fallantur. Ut citemus exemplum: inter diversos, qui exsistunt, tumores, duo sunt indole simul ac symptomatibus longe diversi; abscessum volo et aneurysma. Signa, quibus alter morbus ab altero dignoscitur, vulgo admodum manifesta sunt. Hoc illove loco oritur dolor cum rubore, calore et tumore, inflammatio igitur cum omnibus quae vocant signis pathognomonicis. In initio tumor durus est, sensim sensimque decrescit durities, color profundius fit ruber, quin lividus; dolor non pungens manet, sed magis pulsans redditur, tumor hoc illove loco mollis fit, mollities magis magisque extenditur, oritur fluctuatio: facta suppuratione ortus est abscessus. Initium morbi eiusque progressus

in aneurysmate vulgo toto coelo differunt: dilatatur arteria, aut quia eius parietes morbose affecti sanguinis vi resistere non possunt; aut quia, dilaceratis tunicis vasis media et interna, externa tunica sive cellulosa expanditur; aut quia, vel vulnere vel alia ratione parietis continuitate laesa, sanguis in telam ambientem effunditur. Ultimis exceptis casibus, in quibus error committi fere nequit, restant proprie sic dicta aneurysmata: lente oritur tumor pulsans, in quo adposito tubo acustico peculiaris auditur susurrus; pressione in arteriam facta tumorem inter et cor subsistit pulsatio, quin ipsa intumescentia, dummodo per breve tempus exstiterit, decrescat. In initio tumor mollis est, dein vero, quando sanguis sacco aneurysmatico contentus aut omnis aut pro magna saltem parte coiverit, magis indurescit. Videmus decursum et symptomata in utroque morbo plane differre, et nihilominus morbos confuderunt et abscessum aneurysma, hoc abscessum habuerunt. Prior error minoris momenti, alter vero eo maioris. Neque obiiciat quis, errorem istum a minus peritis tantum vel a negligentibus chirurgis committi posse, nam aliter docuit experientia. Non semel sed saepius evenit praeclaros chirurgos abscessum habuisse, quod aneurysma erat. Sic illustris in Francia chirurgus et operator infelici sorte talem errorem commisit: aegrum curans tumore in axillari cavo affectum, tumorem istum, bene ut credebat perpensis omnibus, abscessum habuit, atque aperuit, quo facto non pus sed sanguis effluebat. Non diu post errorem istum alius praeclarior adhuc chrirurgus publice stultum vocavit, opinabatur nimirum vir illustrissimus signa, quibus abscessus ab aneurysmate distingui potest, ita manifesta esse ut confusio oriri nequeat. Ecce auditores, dicebat, aegrum cum abscessu in cavo axillari, omnia adsunt symptomata a symptomatibus aneurysmatis longe diversa. Cultro aperit tumorem et quid effluit? Non pus sed arteriosus sanguis et quidem largo flumine. Aneurysma non abscessum aperuerat.

An igitur ambos chirurgos omnesque, qui cum iis simili ratione erraverunt, de imperitia aut negligentia accusabimus? Nequaquam, sed potius exinde haec conclusio petenda erit certam inter utrumque morbum diagnosin interdum difficillimam esse. Gaudendum tamen eventum in istis casibus dubiis non necessario tam infelicem esse; si enim talem tumorem non solito modo cultri vel lanceolae ope aperimus sed punctione sic dicta pro-

batoria, omnis disparet difficultas: effluente pure dilatatur apertura, sanguine autem exeunte certiores fimus hoc in casu non adesse abscessum. Num vero necessario tum existit aneurysma? Non ita; inter tumores malignos unus datur, fungus nimirum, qui chirurgum in errorem ducere posset. Est enim tumor, qui ab una parte propter fluctuationem, quae in illo percipi videtur, abscessum mentiri potest, dum ab altera parte, quando disruptis vasis sanguis in ipsum tumorem effusus est, neque coivit sed liquidus mansit, facta punctione forsitan nullum pus sed sanguis tantum effluit. Quodsi sanguis iste non profunde ruber est sed magis laete coloratus, facile exinde efficeremus hic dari aneurysma, dum revera fungus haematodes adest. Tali in casu microscopicum examen facta punctione auxilio venire posset, ita ut certa diagnosis haberetur.

Quae de aneurysmate dicta sunt, de multis quoque aliis tumoribus valent. Quantum processerit chirurgia, quantum recentiores indagationes, eae praesertim, quas microscopii ope fecerunt, progressui illi tribuerint, verum tamen est ad scopum, quem attingere cupimus, nos nondum pervenisse. Ab antiquo inde tempore chirurgi tumores in benignos et malignos dividere consueverunt, quae divisio desumta erat tum symptomatibus tum decursui, tum imprimis eventui. Quodsi tumor brevius diutiusve post exstirpationem redibat, vulgo malignus habebatur, si non, benignus dicebatur; quodsi tumor post operationem recidivam faciebat atque tunc, ut saepe fit, aliam indolem prae se ferebat, malignus vocabatur et iure quidem; at vero haecce divisio nequaquam sufficit: non raro enim tumores, quos malignos existimabant, post exstirpationem, dummodo completa fuerat, non redibunt, et contra tumores, quos ex omnibus signis benignos iudicavisses, post breve temporis spatium redeunt, nec raro indole longe maligniores. Hacce ratione fere cogeretur chirurgus diagnosin a posteriori facere, quae a priori scilicet non bene fieri poterat; id tamen aegro nequaquam convenit, scire cupienti utrum malum, quod patitur, sanari possit necne, et sanatum vel sublatum rediturum sit aut non rediturum. Dolendum omnino est hac de re saepius nil certi affirmari posse. Constat quidem peritum chirurgum, qui multos omnis generis tumores vidit ac curavit, experientiam quandam nactum esse, illi externa morbi signa, sympto-

mata concomitantia, vim quam morbus in totum corpus habet, habita simul causarum ratione, saepe sufficere ad iudicandum de tumoris natura vel benigna vel maligna, sed quoties falsum iudicium feret! Recentiori imprimis tempore microscopii ope multi tenebras dispellere et tumoris naturam certo dignoscere se posse speraverunt. Crediderunt microscopici peculiaria elementa in tumoribus malignis se invenisse, quibus cum certitudine ab aliis, benignis illis, dignosci possent. Huius loci non est fuse de iis agere, quae microscopium de penitiori structura tumorum benignorum et malignorum docuerit; id tantum indicare volumus, quam facilis error sit, etsi omnia artis praesidia in auxilium vocentur; quam facilis error interdum sit in casibus ad speciem simplicissimis.

Quid simplicius ac benignius quam sic dictae verrucae! Vulgo nullam molestiam afferentes, saepe tamen locis occurrunt, in quibus aut molestae sunt, aut turpes videntur. Cultri vel ligaturae vel causticorum ope amoventur; interdum quidem semel pluriesve redeunt, si non perfecte remotae fuerint, sed fere semper benignae manent tandemque sanantur. Subinde tamen dantur verrucae minus benignae, quibus ob maiorem malignitatem nomen verrucae malignae vel cancrosae datum fuit. An istae semper a vulgaribus verrucis dignoscendae? Experientia non docuit. Excrescentiae ad speciem prorsus benignae, tantum constantes ex papillis cutaneis solito maioribus cum vasis capillaribus dilatatis et strato magis minusve crasso cellularum epidermidis tectis, interdum facta exstirpatione redeunt et quidem longe maligniores quam antea; verruca, quae primum benigna videbatur, verrucam cancrosam se ostendit, verum noli me tangere, et ipsi vitae minari potest. Quodsi vocem verrucae latiori sensu accipimus, eodemque nomine comprehendimus alias quoque excrescentias, pro maiori minorive parte eadem structura gaudentes, difficultas saepe longe maior fit. Forma datur hypertrophiae epidermidis vel epithelii, si hocce verbo uti licet, cui nomen carcinomatis cutis vel epitheliomatis dederunt, quamque nuperrimo tempore tumores epitheliales vocarunt. Frequentissime haecce excrescentia occurrit, quam accuratissime morbi symptomata ac decursus observata sunt et descripta, quam accuratissime, recentiori imprimis tempore, eius structura microscopii ope indagata fuit et constare visa est ex stratis magis minusve crassis, interdum enormibus, cellularum epithelii, cum papillis

cutis plus minusve magnitudine auctis et vasis capillaribus diverso gradu dilatatis ac numero auctis, quum insuper nonnullae ex cellulis epithelii ita adhuc transformentur, ut earum nucleus ad cavam vesiculam amplificetur, quae aut immutata manet, aut elementis cellularum iunioribus repletur. Quid facilius illi, cui microscopii usus parumper tantum familiaris est, quam talem tumorem dignoscere. Nec tamen hac ratione certa semper diagnosis habenda. Epithelioma, ut vocant, quidem dignotum est, at vero remanet quaestio num benignum sit an malignum. Atque huic quaestioni respondere saepe non possumus. Dantur epitheliomata aut potius tumores epitheliales, quod structuram attinet, descriptioni factae perfecte similes, qui revera epitheliomata, vel carcinomata cutis, non sunt. Eiusmodi dantur excrescentiae ad adspectum exquisite malignae, quae deinceps plane benignae apparent, dantur quoque, quae parvi omnino momenti videntur et tamen, facta exstirpatione, iterata vice redeunt, et quidem continuo maligniores, donec tandem mortem afferant. Non semel mihi contigit, et alii multi mecum idem experti sunt, facta cutis carcinomatis exstirpatione sub pessimo omine et tantum ex indicatione vitali, vitam servasse aegrotantibus certae morti dicatis, morbo insuper deinceps non redeunte. Dantur casus, in quibus microscopica indagatio remotae partis indicat omne morbosum sublatum non fuisse, non tamen redeunte morbo; dantur alii casus, in quibus manifestum est totum malum perfecte remotum fuisse, dum nihilominus brevi post redit. Carcinoma cutis ad speciem maxime malignum interdum nihil aliud est quam simplex epithelii hypertrophia, simplici cura sananda. Quid levius quam carcinoma labii, formam fere frequentissimam epitheliomatis, dignoscere! Casus tamen dantur, in quibus simplici curatione instituta sic dictum carcinoma evanescit nunquam rediturum. Non carcinoma tunc aderat, forsitan dixeris; concedo, at vero examen microscopicum in parte affecta eadem prorsus elementa monstrabat, ac in alio casu hac ratione non sanando, in quo operatio instituenda erat, morbus recidivam faciebat, glandulae colli intumescebant, vita ipsa tandem exstinguebatur.

Ante breve tempus iterum mihi exemplum ante oculos venit, e quo patet, quam prudentes simus oportet in dignoscendis talibus tumoribus epithelio magna parte formatis. Aeger in clinico chirurgico recipiebatur

cum horrendo vere tumore fungoso dorsum totius pedis sinistri occupante, supra malleolos et in utroque latere ad palmam pedis sese extendente. Maiores minoresque excrescentiae toti tumori formam brassicae cauliflorae praebebant. Ante quatuor annos ortus, morbus lente sed continuo progressus fecerat, suppuratio profusa erat, pus malum, saniosum, odor ingratissimus, vix tolerandus, verbo tumor adspectum prae se ferebat cancri vehementissimi. Indagatio microscopica statim docuit, hic non, uti antea crediderant, fungum sic dictum adesse, sed epidermidis hypertrophiam, quoad structuram plane convenientem cum epitheliomate. Unica differentia haec erat, vasa sanguifera longe maiori copia per totam massam dispersa esse ad superficiem usque quam in carcinomate cutis vulgo obtinet. Omnibus nominibus amputatio indicata videbatur, aeger morbo exhaustus erat, malum iam plures annos duraverat, continuo increverat brevique vires prorsus fractae fore videbantur, amputatione facta vita saltem forte servari posset. Tantum ad odorem intolerabilem imminuendum praescribitur aliquid; iuvat remedium, odor disparet, simulque plura tumoris fragmenta decidunt; superficies purior fit malumque adspectum minus malignum ostendere incipit. Num verus hic cancer adest? Hanc mihi ponebam quaestionem. Quum microscopici examinis eventus dubius esset, amputandum non esse opinabar sed conamen faciendum tumorem alia ratione, servato si fieri poterat crure, removendi. Adstringentia remedia id efficiunt ut tumoris volumen magnopere decrescat, caustica eum deinde plane disparere faciunt, et servatur crus. Profecto chirurgus hoc in casu nullo modo vituperari potuisset, quum amputationem instituisset, quae tamen docente eventu non necessaria erat; absque necessitate aegrum pro vita mutilavisset, forsitan quoque mortis eius causa fuisset.

Similem casum apud Pirogoffium, illustrem Russorum chirurgum, descriptum invenimus. Miles quidam iam marasmo senili affectus carcinomate labii inferioris laborabat. Malum ab altero angulo oris ad alterum, inferiora versus ad mentum sese extendebat. Aegro exhausto et marasmo senili affecto, de sanatione desperabatur et operatio prorsus inutilis habebatur. Ad odorem minuendum pulta conficitur e daucis carotis contusis labioque imponitur. Quinque hebdomadibus post Pirogoff labium iterum vidit, et ecce loco foetentis ulceris adspicitur superficies plana, iam pro dimidia parte sanata, quae sanatio

brevi post perfecta erat. Praeterito anno aeger decrepitus moritur; de carcinomate vero nil amplius apparuerat. Talia exempla plura enumerare facile esset, allata sufficiant ad probandum quam prudens chirurgus in iudicio suo esse debeat, quum facile eiusmodi morbum insanabilem declararet, qui deinde a circumforaneo quodam pharmacopola vel medicastro simplicibus remediis sanatur. „Sed," ita fortasse loquentur nonnulli, „si neque clinica signa nec microscopicum examen sufficiunt, ut cum certitudine benignas epithelii hypertrophias a magis malignis formis carcinomatis cutanei distinguamus, inde non raro aegrotantibus magna noxia orietur; si enim propter benignam excrescentiam operatio instituitur absque necessitate aegro dolorem infligimus, neque id tantum, sed parte quoque corporis fortasse notabili eum privamus; si contra maligna excrescentia non aut non tempestive aufertur, absque ullo fere dubio eventus lethalis erit." Negari quidem nequit talia non sine iure obiici, sed in rarioribus tantum casibus ita urget indicatio operationis instituendae, ut eam per dies quosdam vel hebdomades quoque differre valde noceret, quo tempore uti possumus, ut de morbi natura certiores fiamus. Quodsi vero accurata morbi observatio diagnosin nostram aut certam aut saltem valde probabilem fecerit, cultrum non amplius metuendum est. Ubi morbus sedem suam in labio inferiori habet, ubi igitur carcinoma labii vel malum carcinomati simile adest, non diu differatur operatio: haec enim nequaquam periculosa est, brevi tempore peracta, nullamque deformationem relinquit. Etsi itaque verus cancer non adesset, operatio aegro non noceret, quin prodesset, nam facile malum alioquin deformem cicatricem reliquisset; quando contra in vero labii carcinomate nimis diu differtur operatio, prognosis admodum infausta fit.

Vasa sanguifera minora et minima saepe dilatantur, quam morbosam conditionem vel adnatam vel, quamvis rarius, dein acquisitam angiectasiam vel teleangiectasiam vel quoque naevum maternum vocant. Sunt aut loca maiora vel minora, magis minusve elevata, raro plana, coloris vel laete rubri vel profundioris; aut veri exsistunt tumores, in quibus casibus praeter abnormale vasorum capillarium incrementum tela simul coniunctiva maiori minorive copia formata est. Nonnunquam in naevis maternis magna adipis quantitas inest, quo in casu morbus nomine naevi materni lipomatodis

salutatur. Nonnunquam in naevo magna pigmenti quantitas invenitur, quo color magis minusve profundus fit. In omnibus casibus, in quibus verus tumor adest, praeter vasa capillaria dilatata etiam telam coniunctivam, interdum quoque adipem eum continere exspectare possumus. Iam nudo oculo haecce vitia dignoscuntur, diagnosis igitur omnibus admodum facilis videbitur, et revera facilis est: sine ulla difficultate naevum maternum dignoscimus, sed non facile est determinare utrum tumor benignus sit an non. In longe plurimis casibus indoles morbi benigna est: cultro tumor auferri potest, aut incidi, ferro candenti vel aliis causticis uri, vel ligatura circumdari, fila trans eum transmitti possunt, atque haec omnia fert malum et sanatur. Imo per telam morbosam inciditur, vulneris margines acubus perforantur et ligatura iunguntur; post aliquod tempus iterum exciditur fragmentum, nova adponitur sutura, eademque operatio ter quater pluriesve repetitur, donec omne morbosum sublatum fuerit. Hi igitur tumores ab omni parte benigni dici merentur, attamen, etsi raro, nonnumquam prorsus aliam indolem habent. Ita de aegrotante legimus, qui a prima inde aetate naevum maternum supra scapulam dextram gesserat. Per triginta quinque annos cum vitio sanus fuerat et verosimiliter multos adhuc annos cum eo vivere potuisset. Nescio causam sed cupit aeger a vitio, quod illi parumper quidem molestum est, nullo vero modo ei nocet, liberari. Simplex erat atque benignus naevus maternus, exstirpatio tuto perficienda erat, operatio absque omni periculo, sublatus morbus non rediret, et tot alia fortasse argumenta, quot afferri possunt ad persuadendum alicui ut operationi sese subiiciat, verosimiliter in hoc casu adhibita fuerunt. Fit operatio et quidem sine ulla difficultate, vulnusque bene sanatur. Docet examen microscopicum tumorem fere totum ex vasis capillaribus dilatatis constare. Aeger sanatus habebatur, sed iam post paucos menses alius tumor in cavo axillari oriebatur, qui brevi increscebat, imminuta simul consistentia. Diversa minora tubercula in vicinitate tumoris ex cute proveniebant et anno post operationem aeger sequelis fungi medullaris aperti valde manifesti succumbebat. Contendi forte posset, fungum in cavo axillari cum tumore ad scapulam nihil commune habuisse et sponte ortum fuisse etiamsi prior tumor non remotus fuisset. Videtur tamen mihi talis ratiocinatio nimis sceptica, et longe probabilius mihi videtur nexum inter

prius malum atque insequentem morbum exstitisse. Si de hoc tamen casu aliqua dubia remanere possent, haec de sequenti profecto non valent: viro perfecte ut videbatur sano, quinquaginta annos nato, naevus parvus pone aurem auferebatur; brevi post in eodem loco tumor oriebatur, qui sensim ad magnitudinem ovi columbini increscebat. Et hic tumor, quem glandulam lymphaticam tumentem habebant, exstirpabatur; feliciter sanabatur vulnus, sed post sex menses eodem loco iterum oriebatur intumescentia, quam primum abscessum credebant, quae vero brevi manifestissima fungi medullaris signa offerebat. Quum vir caeteroquin perfecte sanus videretur, haec quoque intumescentia operatione amovebatur, sed iam ante quam sanatum vulnus erat, redierat morbus. Septem mensibus post ultimam operationem morbo exstinguebatur. Num in hoc quoque casu vinculum inter affectionem primariam, naevum maternum scilicet, et fungum postea ortum negari potest? An forte naevus iam ab initio inde non vera teleangiectasia erat sed magis malignus affectus? Hoc mihi valde improbabile videtur, etiamsi non annotatum inveniamus morbum congenitum fuisse, uti in sequenti casu factum est. Vir vegetus, torosus, insignique corporis robore notus, cum parvo tumore, naevo scilicet, in regione umbilicali natus erat. Multos annos cum naevo isto vixerat, qui benignae indolis videbatur. Quid operationi obstaret? Exstirpationem tumoris rogat. Parvus tumor ligatura circumdatur et brevi post decidit; vix vero vulnusculum sanatum erat, et ecce in vicinitate quatuor alii tumores caerulescentis coloris excrescunt, quibus ut videtur causticorum ope destructis, tumor oritur in cavo axillari dextro, qui iam brevi tempore magnitudinem pugni virilis nactus erat. Horrenda celeritate continuo crescebat, donec tandem capitis volumen attigerat. Mortuus est aeger praesentibus cunctis acutae dyscrasiae carcinomatosae symptomatibus. — Certum quidem est eventum rarissime tam infaustum fore quam in enumeratis casibus; sufficiat tamen indicasse tales casus occurrere posse et naturam teleangiectasiae hucusque, quantum scimus, plena certitudine cognosci non posse.

Sed cum aliis quoque tumoribus naevi confundi possent. Dantur casus, in quibus vera fluctuatio percipi videtur in tumore sana cute tecto aut cuius integumenta inflammationis signa offerunt. In hisce casibus omnia acutae phlegmasiae signa adesse possunt, et nihilominus vera teleangiec-

tasia exsistit. Verosimiliter quidem aeger saepissime nobis narrare poterit, iam diu, fortasse iam per multos annos aut a prima inde aetate, parvam intumescentiam loco affecto exstitisse, quae post hanc illamve fortuitam laesionem, postquam per omne illud tempus eodem statu perstiterat, celeriter increscere coeperat. Satis autem scimus, quam parum saepe aegrotantium dictis confidere possimus. — Aliud signum, quo alter morbus ab altero distingui posset, hoc est: in naevo pressione facta in arteriam sanguinem ad tumorem adducentem, volumen saepius plus minusve imminuitur; haecce tamen imminutio tam exigua esse potest ut oculos fugiat, quin interdum prorsus non exsistat. Tandem stethoscopii ope in magnis naevis maternis peculiaris susurrus auditur, quem, ut contenditur, qui semel tantum audivit, non facile cum alio susurro confundet. Quaestio autem est, num talis susurrus semper percipiendus sit, et praeterea, quando omnia cetera teleangiectasiae signa deficiunt, et contra omnia abscessus symptomata adsunt, chirurgo quidem ignoscendum erit, tubum acusticum tumori non apponenti. Nihilominus haecce negligentia funestum eventum habere potest. Sic in memoriam venit puella, tumore ad internum brachii, ni fallor sinistri, latus affecta, satis magno, tenso, doloroso, uti narrabat aegra ante quatuordecim dies brachio contuso orto. Dein autem affirmat iam diu loco affecto parvum tumorem exstitisse, unde vero nunquam molestiam ullam acceperat. Tumor tensus quidem erat, at vero manifesto fluidum continere videbatur. Quum omnia abscessus signa adessent, lanceola immittitur, et ecce non profluit pus, sed larga sanguinis laete rubri quantitas. Fasciis brachium circumdatur, epithemata frigida sedulo applicantur; continuo vero sanguis exstillat, interdum quoque largius effluit. Ex facta apertura, quae cutis ulceratione brevi maior evaserat, massa fungo haematodi perfecte similis excrescere coepit, celeriter magnitudine aucta, dum sanguinis iactura nondum stiterat. Aegra exsanguis erat, color faciei stramineus fiebat, uti in dyscrasia carcinomatosa obtinere solet, atque mors per exhaustionem instare videbatur, nisi tempestiva humeri amputatione vita servaretur, remanente tamen metu, ne operatio pro tempore tantum auxilium afferret. Proponitur operatio, recusat puella, cui nulla alloquia persuadere valent ut subeat amputationem, quaeque vitam perdere quam brachium malit. Quid aliud exspectandum quam eventus brevi lethalis?

Nihil tamen hac de re obtinuit. Nunc duodecim et quot excurrit anni praeterierunt, postquam casus iste observatus fuit, et non tantum vivit puella, sed brachium quoque servavit, eoque non minus bene quam altero uti potest. Per aliquod adhuc tempus parva intumescentia remansit, quae absque dubio postea quoque disparuit. Roganti quomodo istud miraculum obtinuerit, respondeo, simplicissima, quae fieri poterat cura, factis sedulo epithematibus cum lotione fortiter adstringente. Et profecto hicce casus non solus exsistit, absque ullo dubio plures tales occurrerunt, eventus autem verosimiliter non semper tam faustus fuit, aegrotantibus aut partem affectam aut vitam amittentibus. Quodsi igitur dubium aliquod de tumoris natura remaneat, quodsi chirurgo non prorsus persuasum sit abscessum adesse, non alium tumorem, eandem ingrediendum est viam, ac in iis casibus, in quibus dubii haeremus, utrum abscessus adsit an aneurysma: fiat nimirum punctio probatoria et dilatetur dein apertura pure exeunte, claudatur contra quam citissime loco puris sanguine effluente.

At vero non possumus hic de omnibus tumoribus agere; cum silentio igitur lipomata, steatomata, cum silentio diversos tumores cysticos praeteribimus, etsi diagnosis haud raro perdifficilis sit. Tumorum cysticorum diagnosis accurata saepe haberi nequit, si signa tantum externa consideramus. Fatendum autem ad curationem non multum referre utrum cystidis cuiusdam contentum magis minusve sit liquidum, utrum fluidum, quod continetur, spissius sit an liquidius, in quibus casibus evacuato fluido vel exstirpato tumore, diagnosis certior fieri potest. Sed, quod praestat, in omni casu dubio punctio probatoria instituatur, qua facta natura contenti iam ante operationem examinari potest. Etsi vero non gravem errorem committeret chirurgus, qui contentum tumoris liquidum haberet, quod evacuatum spissum apparet, gravior fit error, quando chirurgus tumorem cysticum credit, qui tumor cysticus non est. Non raro abscessus proveniunt diversis corporis locis, qui per descensum puris producuntur et inde etiam nomine abscessus per descensum sive per congestionem insigniuntur. Hi abscessus interdum clandestine oriuntur et increscunt, sine ullo inflammationis signo; videtur tumor magis minusve mobilis, non dolet, fluctuatio in eo percipitur, nulla invenienda causa, quae morbo ansam dare potuit;

quid mirum igitur, si chirurgus tumorem cysticum exsistere credat. Nihilominus abscessus est atque accuratiori aegri examine instituto, verosimiliter morbum detexisset primarium, uti cariem vertebrarum vel costarum, aut empyema, aut alia. Fatendum autem symptomata primarii morbi non raro ita latere ut diagnosis perdifficilis fiat. Quidquid sit, in omni casu, in quo chirurgo ullum tantum dubium de tumoris natura remanet, punctio probatoria instituenda est.

Dantur alii tumores, saepissime invicem confusi, quos certo dignoscere tamen magni momenti esset: carcinomata scilicet et tumores fibrosi. Clinica, quae dicuntur, symptomata, quae diversis istis morbis competunt, hic enumerare locus non est. Consentimus quidem illa non in omni casu sufficere ad diagnosin statuendam, non semper scirrhum exploratione externa, anamneseos simul aliorumque ratione habita, a tumore fibroso posse distingui, non semper carcinoma molle, vel fungum sic dictum medullarem, a sarcomate vel molliori tumoris fibrosi specie discernendum esse; — consentimus quidem diversas carcinomatis species examine externo, signis clinicis, a se invicem certo distingui non posse; plerumque tamen anamnesis, examen tumoris externum, decursus morbi, vis quam in totum corpus exercet, tot sunt momenta, quae ad diagnosin, valde probabilem saltem, statuendam omnino inservire possunt, neque facimus cum illis, qui signa clinica vel physiologica parvi momenti habent. Maximi contra sunt momenti ad iudicandum de maiori minorive morbi malignitate, quum examen microscopicum ad iudicium illud ferendum nequaquam semper sufficiat.

Videamus breviter de iis, quae examen microscopicum de penitiori carcinomatis et tumorum fibrosorum structura nos docuerit. Prius vero animadvertendum examen illud iam ante tumoris exstirpationem posse institui; acu scilicet tenui, peculiari, in tumorem immissa, semper aliquid tumoris illi, si extrahitur, adhaeret, quod ad microscopicum examen sufficit. At vero provisoria haec indagatio practico sensu non tam magni momenti, quandoquidem paucis tantum casibus operationis indicatio ex ea petenda est.

Redeamus nunc ad ea, quae microscopium de tumorum istorum structura docuerit. Primo quidem loco nominandus scirrhus est, cuius stroma constat e tela coniunctiva, in cuius interstitiis invenitur massa fluido imbibita, numerosas cellulas nucleosque continens. Pro diversa ratione, quae

inter fibrillas telae coniunctivae atque cellulas et nucleos intercedit, pro diverso fibrillarum decursu, variae carcinomatis species distinguuntur. Praeter scirrhum nempe vel carcinoma simplex sive fibrosum, loquuntur de carcinomate reticulari, fasciculato, melanodi, aliis. Fungus sive carcinoma medullare, carcinomatis species omnium malignissima, itidem stromate formatur e fibrillis telae coniunctivae constante prouti scirrhus aliique tumores carcinomatosi; hae autem fibrillae, ratione habita ingentis quantitatis cellularum celeriter reproductarum, parvi momenti sunt; nonnunquam aut nulla aut fere nulla tela coniunctiva cernitur, et nihil adest nisi massa mollis ex cellulis plerumque fusiformibus constans. In carcinomate igitur invenimus cellulas fibrillasque omnibus evolutionis et involutionis, quam vocant, periodis, vasa atque adipem tum liquida tum solida forma.

Tumores fibrosi duri sunt, formae magis minusve rotundae vel irregularis, tuberosi, fere semper distincte limitati, atque constant ex fibrillis telae coniunctivae, intermixtis interdum fibrillis elasticis, porro e cellulis atque nucleis, e tela coniunctiva, proprie sic dicta, diversissimis evolutionis gradibus atque e tela fibrillarum ad instar plicata. Sarcomata sunt tumores fibrosi, qui a prius descriptis minori consistentia distinguuntur. Inest quidem perfecta tela coniunctiva, sed magis forma embryonali, gelatinosa; porro corpuscula continent telae coniuntivae, formasque inde ortas, multos nucleos multasque cellulas; cellularum non raro plures concatenatae sunt et quasi fibrillam faciunt. Si quando cellulae istae maximam tumoris partem efficiunt, ille fibroplasticus dicetur.

Profecto microscopii ope saepe tumor fibrosus et sarcoma, scirrhus et fungus a se invicem distinguenda sunt; num autem semper id fieri potest? nonne dantur tumores fibrosi, qui cum scirrho facile confunderentur? nonne sarcomata mollia, quae multis nominibus cum fungo conveniunt? Firmiter credimus diversos istos tumores unum in alium transire. Prouti inter scirrhum atque fungum, inter carcinoma igitur durum atque molle, multae dantur formae intermediae, sic quoque inter varios tumores fibrosos; sed id non tantum: videtur enim transitio esse tumoris fibrosi in scirrhum, atque sarcomatis in fungum, ita ut neque microscopii ope semper certa diagnosis possit statui.

Praeteriit tempus, quo de cellula specifica, soli carcinomati propria,

sermo erat. Cellula talis specifica revera non datur, dantur tantum cellulae et quidem diversis formis et diversis evolutionis periodis; maximi simul momenti est earum reproductio magis minusve celeris. Qui ex solis fere fibris constat tumor, est tumor fibrosus, quodsi inter fibras multae cellulae multique nuclei inveniuntur scirrhus adest, e quo pressione facta fluidum quod dicunt carcinomatosum exprimitur. Fungus pro maxima parte ex cellulis constat, sed sarcoma quoque earum magnum numerum continet; in priori etiam fluidum carcinomatosum invenitur, in sarcomate non invenitur. Distinctionem inter scirrhum atque tumorem fibrosum fieri posse crediderunt eo, quod in tumore fibroso inter fibras verae cellulae adessent, in scirrho contra imprimis nuclei liberi, quae vero opinio nequaquam probata est.

QUI AD FESTUM HUNC DIEM CELEBRANDUM CONFLUXISTIS, VIRI AMPLISSIMI! VIR CONSULTISSIME! VIRI CLARISSIMI! DOCTISSIMI! PLURIMUM VENERANDI! IUVENES DILECTISSIMI! CIVES, HOSPITES, SUO QUISQUE LOCO SPECTABILES!

AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Ad religionem Christianam commendandam omni fere aevo provocarunt theologi ad antiqua Hebraeorum prophetarum vaticinia Messiana, et provocant etiamnum. Idque recte; dummodo non in minutioribus et fortuitis quibusdam haereant, sed quod apud ipsos prophetas praecipuum est, praecipue teneant. Unius Dei cognitionem et adorationem vaticinabantur fore perennem. Hanc ad perfectiora semper adductum iri, ut non lege externa regerentur, sed spiritu intus agerentur homines. Per regnum Divinum, per Deo sacram societatem id ita effectum iri, ut vel rex, vel animos hominum regens Dei minister, etiamsi vel huic multa ab hominibus forent perpetienda, in hac societate divinam in hominibus vim exerceret. Neque id una gente sua terminandum, sed omnes populos, homines omnes eo adducendos esse, quippe omnes ad Dei imaginem creatos. — Has eximias sane exspectationes eventum habituras prophetae, unius Dei cognitione divinisque promissis nixi, certo pronuntiarunt et vaticinati sunt. Iesus Christus autem has ita explevit, ut dicendus sit maxime etiam sublimia eorum vaticinia longissime superasse.

Uti autem haec Hebraeorum prophetarum carmina equidem admiror et magni facio, ita etiam Graecorum Romanorumque philosophorum scripta et amavi semper et amo. In his autem invenire mihi videor similem aliquem veluti prophetismum, non unius Dei quidem pura cognitione, minus etiam singularibus Dei promissis nixum, sed nitentem natura humana, a

Deo procreata divinoque praedita ingenio. Quare cum haec mihi contingat coram viris doctis dicendi oppertunitas, paucis meam hac de re sententiam exponam. Dicam igitur de perfectionis Christianae in antiqua philosophia praesensionibus et desideriis.

Quod agens tantum abest ut res plane novas moliri dicendus sim, ut contra in antiquissima ecclesia Christiana ii imprimis Patres Graeci, qui id sua edocti erant experientia, constanter profiterentur, „prouti Mose prophetisque Hebraeos, ita Graecos philosophis tanquam paedagogis ad Christum fuisse praeparatos" [1]). Sed antiquissima, si a nonnullis immerito antiquata censeantur, renovare saepe conducit. — In argumento autem hoc exponendo non ita versabor, ut multa de virtute philosophorum praecepta enumerem, cum Iesu aut Apostolorum praeceptis quodammodo consonantia; quod et longum sit et ad rem parum faciens. Pauca tantum ex antiqua philosophia depromam, sed praecipua et ita comparata, ut appareat in interiori eius natura inveniri praesensiones et desideria eius perfectionis, quae nobis est in Iesu Christo concessa.

Vos, A. H.! ea, qua soletis, benevolentia favete dicenti!

Primo igitur praecipuoque loco commemorandum est, finem summum homini propositum, in vita omni spectandum, egregie sensisse nonnullos veteres philosophos.

Et Dei quidem rerumque divinarum eos hac in re rationem habuisse, minime sane mirandum est. Homo enim, quam primum excoli incipit, animalibus reliquis se sentit superiorem et naturae cuidam excelsiori cognatum, quam in mundo adspectabili viventem agentemque suspicatur. Quare apud gentes paulo quidem cultiores omnino omnes religionis quaedam initia inveniri, omnis testatur historia. Estque hoc confidenter pronuntiandum, hominem, qui sine ulla religione vivat, vere inhumanum esse et honorifico hominis nomine indignum.

Sed cultus ille Deorum, uti omnibus notum est, in gentibus antiquis, apud Graecos etiam Romanosque, erat paene unice externus, ritibus sacri-

---

[1]) V. c. Clemens Alexandrinus, *Strom.* I, p. 282.

ficiisque contentus et ludis festisque in Deorum honorem institutis, lascivis haud raro illis et cum animi morumque bonitate parum aut nihil commune habentibus. — Qui Deum animo spirituque colendum et vitae bonitate honorandum esse sentirent, eoque ipso perfectionis Christianae praesensionem aliquam manifestarent, philosophi fuere.

Si quaeritur, quis eximiae huius sententiae auctor fuerit; respondendum sane, praelusisse iam quodammodo PYTHAGORAM, virum pium et egregium inter cives et in sodalitio suo honestatis vindicem. Sed primarius sine dubio auctor laudandus est admirabilis ille vir, qui Graecorum sapientissimus Delphico oraculo est iudicatus, qui se daemonio, sive spiritu quodam diviniore a perversis cohiberi profitebatur, qui unum hoc divinum praeceptum tenebat semper: „cognosce temet ipsum, *γνῶθι σεάυτὸν*," quique hoc tenens primum semet ipsum vanis opinionibus et cupiditatibus purgabat, deinde omnis generis cives, iuvenes imprimis, sic instituebat, ut in semet respiciendo quod vere pulcrum, iustum, bonum esset ex sua ipsorum interiori natura persentirent, perspicerent, expeterent, sequerentur. Ita SOCRATES certum indicabat et a Sophistarum etiam cavillationibus tutum omnis honesti bonique fundamentum, in ipsa natura humana positum, ut omnes intus fierent boni, *καλοὶ κἀγαθοί*. Idque unum a Diis precari solebat, ut intus bene esset compositus, externa autem omnia internis hisce essent conspirantia; et qui eum sectabantur ut id pariter pro ipsis precaretur rogabant, ut fieret id bonum amicorum commune [1]). Caeterum de Deorum, sive, ut loqui malebat, de Dei natura disputabat raro; unum hoc semper et ipse videns et aliis indicans, in maiori mundi theatro ubique rationem, mentem cerni agentem et omnia moderantem, pariterque in minori cuiusque hominis mundo, mentem illam rationemque omnia debere regere ac moderari: sic hominem, quod fert ipsius natura, revera esse „deum aliquem inter animantia reliqua" [2]).

His sententiis studiisque imbutus, imo hac SOCRATIS institutione penitus informatus PLATO cum de virtutis humanae natura explicatius egit et hanc sapientia, fortitudine, temperantia omnique iustitia contineri docuit, tum

---

[1]) PLATO, *Phaedro* in fine.
[2]) XENOPHON, *Memor.* L. I. c. 4.

hac iusta rectaque animi dispositione omnem hominis bonitatem, praestantiam, felicitatem veram, imo omnem naturae humanae sanitatem contineri defendit [1]). — Idem vero etiam hisce plane moralibus, ut dici solent, principiis consentanea egregia multa de Deo pronuntiavit, imprimis in dialogo Timaeo. Deus ipse bonus est. Bonus autem invidet nemini. Itaque omnia quam maxime bona et pulcra fecit ille mundi fabricator et quasi artifex. Ut igitur pictor quam mente concepit formosam perfectamque speciem, hanc quasi oculis intuens in eaque defixus manum sic dirigit, ut quam fieri potest maxime hanc pingendo exprimat, ita ille mundi quasi artifex et auctor Deus perfectas pulcri, honesti, iusti, boni species intuitus, his convenientem rerum omnium naturam informavit, mundi, *τοῦ κόσμου*, nomine dignam, et ad easdem honesti bonique species perpetuo mundum hunc gubernat et regit. — Est autem Deo cognatus homo, quippe ratione praeditus, quam cum illo habet communem. Insitae igitur sunt in natura humana et ingeneratae pulcri, boni omnisque eius quod vere est divinum, sive recordationes sive scintillae. Hae suscitandae, alendae, inflammandae sunt, ut, ratione duce, homo magis magisque ad easdem illas perfectas honesti bonique species sese animo vitaque componat et fiat Deo similis. Atque sic a divino illo, ut veteres dicebant, PLATONE haec, merito divina dicenda, sententia pronuntiata est: vitae consilium, homini propositum, est ut referat „similitudinem cum Deo, quantum fieri possit; est autem haec similitudo in eo posita, ut iustus et sanctus fiat cum sapientia" [2]). Haec autem vita, si eam in corpore hoc inclusus iam homo vixerit, sane, quando corpore hoc liberatus erit, vigebit immortalis.

Num opus est, ut ego vobis, A. H.! demonstrem, his ex antiqua philosophia depromtis contineri praesensionem eius quod perfecte nobis per IESUM CHRISTUM est patefactum? Iisdem paene verbis, quibus PLATO usus est, PAULUS Apostolus hominem vere bonum descripsit: „ad Dei imaginem informatum, contentam illam iustitia et sanctitate, veritatis cognitioni

[1]) *De Republ.* IV, p. 444.

[2]) *Theaeteto*, p. 176: *ὁμοίωσις θεῷ, κατὰ τὸ δυνατὸν, ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.*

congrua" [1]). Iesus autem, qui patrem Deum ab omnibus spiritu colendum praecipiebat, huius Dei exemplum hominibus sequendum inculcans dicebat: „Perfecti estote, uti Pater vester coelestis perfectus est." Et vero, quod multo etiam maius est, ipsum illum Iesum Christum, qui perfecta erat hominibus Dei patris imago, idemque absolutum hominum omnium exemplum, eo ipso consilio nobis Divinitus datum esse novimus, ut illum sequentes Dei geramus similitudinem.

Restat igitur, ut moneam, divinam illam Platonis sententiam a multis servatam esse veteribus philosophis. Aristoteles quidem, rerum physicarum humanarumque, quae oculis conspiciuntur, acerrimus perscrutator magis quam internae naturae humanae indagator, eam fere neglexit. Quod neque mirandum est, si observemus, Deum Aristoteli vix aliud quid esse quam rerum quae adsunt omnium causam primam moventem, *τὸ πρῶτον κινοῦν*. Sed apud Stoicos imprimis, de re ethica optime meritos, identidem occurrit nobis eadem illa sublimis sententia. Ad „naturam" enim illam, quam sequendam Stoici semper dicebant, et mundum referebant et ipsum Deum. Quare Seneca id agendum homini praecipit, „quod dii, omnium rerum optimi auctores, (agunt), qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseverant. Imitemur illos," inquit, „qui non cessant beneficia congerere de beneficiorum auctore dubitantibus, sed aequali tenore bona sua per gentes populosque distribuunt, unam potentiam sortiti, (ut omnibus possint) prodesse" [2]).

Quodsi igitur finem vivendi homini propositum spectes, summo iure dicendum est, perfectionis Christianae in antiqua philosophia inveniri praesensionem egregiam.

Deinde, secundo loco, attendendum est ad modum, quo veteres philosophi finem illum naturae humanae propositum assequendum iudicabant.

Et egregie quidem omnis antiquitas persensit, communionis, coniunctionis, societatis vim magnam esse et admirabilem ad bona et eximia quaeque in hominibus efficienda. Moses societatem Theocraticam condidit,

---

[1]) *Eph.* IV: 24: *τὸν κατὰ Θεὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας.*
[2]) *De Beneficiis*, L. VII. c. 31.

Zoroaster religione coniunctam gentem suam reformare voluit, respublicas Graeci condebant, de Romanis notissimum est illud:

„Tu regere imperio populos, Romane, memento!"

et revera imperio gentes multas excoluerunt atque orbem antiquum paene universum coniunxerunt.

Per hanc vero civilem plane coniunctionem omnia et ipsa fiebant unice civilia. Literae, historia, artes ad civitatem adstringebantur, virtus ipsa civilis modo erat, religio item civitati tota subiecta. — Qui externis huiusmodi moribus, ad civitatis legem exactis, veram nondum contineri virtutem, sed altiorem esse debere hominis excellentiam cernerent, philosophi fuerunt, ut modo vidimus. Itaque alîus etiam et excelsioris generis communionem, coniunctionem, societatem expetiverunt. Sodalitium suum condidit Pythagoras, amore suos secum ipso coniungere Socrates studebat, amicitiaque eos inter se consociabat. Omnium vero maxime Plato totam aliquam rempublicam informandam iudicabat, qua coniuncti homines ad similitudinem cum Deo vera virtute et sanctitate adducerentur. Sed et in hac non legem, non legis praecepta et vim et poenas dominari, imo vero unicam in ea rectricem omnium volebat esse institutionem. Homines enim, ut celeberrima antri illius subterranei imagine descripsit et paene depinxit, vulgo in inferioribus haerent, vanis rerum imaginibus et umbris delectantur, et in his vincti vitam omnem degunt. Sunt his vinculis liberandi, sursum erigendi, ad sublimiora evehendi, ut id quod vere pulcrum, bonum, iustum sanctumque est in plena solis luce videant et ei vitam consecrent. Agendum autem id unice τῇ παιδείᾳ, institutione [1]). Communiter igitur cives omnes in republica instituantur, institutione excelsiore gaudeant communiter qui civitatis vindices, sublimi autem planeque philosopha qui principes reipublicae sunt futuri. Sic unam omnes matrem habentes civitatem, τὴν μητρίδα, principes suos ut institutores patresque amabunt, se mutuo ut una educatos institutosque fratres diligent. Orieturque societas, in qua suum quidem singuli negotium peragunt, nemo autem suum unius commo-

[1]) *De Republ.* L. VII, initio.

dum spectat, omnes communiter civitatis salutem amant, curant, efficiunt, prouti in corpore nostro membra singula suum habent, quod agant, negotium, nullum vero sibi vivit, omnia ad totius corporis sanitatem, incrementum, perfectionem efficiendam conspirant [1]).

Quodsi iam, A. H.! hac societatis, per institutionem informandae mutuoque amore in unum veluti corpus coniungendae, imagine equidem perhibeam perfectionis Christianae praesensionem contineri, erunt fortasse multi qui id magnopere mirentur. Ita enim in recentiori eoque Germanico orbe nos inprimis Protestantes privam singulorum libertatem unice spectare solemus, ut suae quemque internae bonitati, virtuti, religioni ipsum solumque prospicere debere credamus, in adiumentum fortasse adhibitis quibusdam aut dogmatices placitis aut ethices praeceptis, prouti ipsi lubuerit; communionis, consociationis, societatis moralis et religiosae, uno verbo ecclesiae, vera animorum institutione informandae, fraternoque amore ad omnium salutem conspirantis, quae vis sit et natura, plane non persentiamus et paene omnino ignoremus. Et vel sic tamen confidenter equidem affirmo, imo constanter inculcandum et proclamandum censeo, communione hac et societate rei Christianae vim contineri paene omnem. — Iesus institutione primum Apostolorum sodalitium, deinde ecclesiam integram conformavit, eamque excolendis, emendandis, perficiendis, uno verbo instituendis hominibus destinatam. Dei caritas et paternus amor est nos instituens, *ἡ χάρις παιδεύουσα ἡμᾶς* [2]). Fraternoque amore iuncti omnes, ut Paulus, iterum iisdem paene quibus Plato verbis usus, egregie docuit, unum efficiant corpus, cuius admodum quidem varia sunt membra, suam quodque vim et negotium suum habentia, sed ad communem cuncta salutem conspirantia totius illius corporis, cuius caput Christus est [3]).

Societatis eiusmodi perfectae praesensio igitur apud Platonem invenitur. Quod vero uti affirmo, ita statim addo, non praesensionem modo eius in antiqua philosophia haberi, sed etiam desiderium. Namque ille Plato semel quidem iterumque instituendo Syracusis utroque Dionysio periculum

---

[1]) *De Republ.* L. V, p. 462, 464.
[2]) *Tit.* II: 11, 12.
[3]) *Rom.* XII: 4 sqq. 1 *Cor.* XII: 12 sqq. *Eph.* IV: 4, 15, 16.

fecit eiusmodi civitatem informandi, sed frustra; atque adeo in republica, quam reapse efficere non poterat, fingenda substitit, ipse fassus talem adfuisse nunquam et sperare vix ausus, unquam esse futuram [1]).

Caeterum quam ita PLATO verbis depingebat, haec respublica unius erat gentis, aut urbis unius, veluti Athenarum finibus contenta; prouti fere veteres suae quisque gentis et civitatis se continebant limitibus, reliquos populos barbaros existimantes. Neque tamen, posterioribus imprimis temporibus, omnes philosophi veteres arctis his finibus circumscribi se passi sunt. Imo ipse iam SOCRATES, „rogatus aliquando, cuiatem se esse diceret: „mundanum," inquit, totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur" [2]). Quae sublimis sententia a Stoicis imprimis explicita est et adornata. Ipse adeo iam ZENO hoc omnium maxime praecipiebat: „Ne urbibus aut gentibus vivamus distincti, diversis iuribus dissociati, sed omnes homines existimemus unius gentis esse et civitatis unius socios, ut una sit omnium vita et veluti communis aliquis grex unus" [3]). Et vero quo magis Graeci Romanique cum aliis gentibus commercium habuere, eo magis huius rei invaluit desiderium. PLUTARCHUS adeo, gentibus plurimis excolendis et coniungendis ALEXANDRUM M. voluisse illi philosophiae desiderio satisfacere, iudicabat [4]). CICERO autem „caritatem generis humani dicebat unam verissimam esse iustitiam" [5]). Et SENECA unam semper volebat esse „magnam rempublicam, Deorum hominumque omnium societatem" [6]).

Quem igitur IESUS oriturum dicebat, „gregem unum" pastoris unius, quodque PAULUS suo iam tempore adesse et increscere docebat „corpus unum" ecclesiae, in quo ut conditionum generumque, ita etiam gentium sine discrimine omnium homines consociarentur, huius magnae generis humani societatis veteres philosophi praesensionem egregiam habuerunt;

---

1) *De Republ.* L. IX in fine.

2) CICERO, *Tusc. Quaest.* V, 37.

3) PLUTARCHUS, *de Alexandri fortuna aut virtute*, I, p. 329 A. sive ed. WYTTENBACHII T. II, p. 848 seq.

4) l. l.

5) *De Fin.* L. V. c. 23. Conf. *de Offic.* III. 5, 6.

6) V. c. *De otio Sapientis*, c. 31.

simul vero, cum eam revera efficere se non posse sentirent, ingens eius ostenderunt desiderium.

Denique locus in philosophia antiqua clarissimus est, qui agit de Sapiente, a quo egregia omnia in societate humana procedant.

Scilicet SOCRATIS vim animos regentem experti erant ipsius aequales et discipuli, atque institutione eius et vitae exemplo et mortis constantia et certa spe immortalitatis ad sublimia omnia erant erecti. Neque aequales tantum, sed et posteri, ita quidem ut suo etiam tempore SENECA profiteretur: „Plus ex moribus illius viri, quam e verbis traxit omnis sapientium turba" [1]). Neque mirandum igitur, veteres philosophos ad optima quaeque in perfecta republica efficienda semper virum aliquem, quantum fieri posset, perfectum requisivisse.

Ita PLATO in sua republica principem, institutionis omnis salutisque moderatorem et auctorem, requirit Philosophum. Namque, ait, uti pictor ideam perfectam mente intuetur, quam pingendo exprimat, ita ille reipublicae princeps, Philosophus, sursum semper adspicit aeternaque illa et coelestia pulcri bonique exemplaria intuetur, idemque semper deorsum respicit, ut quid in republica sit illis etiamnum contrarium videat, quo deleat hoc, id vero in ea efficiat, ut ipsam reddat magis magisque ad perfectas illas species compositam [2]). — Ubi autem virum bonum depingit, virtute sola beatum exemplumque omnibus luculentum et perfectum, PLATO postulat, ut, in media etiam fortuna adversa, sua se ostendat beatum virtute: atque adeo eum describit male habitum, iniuriis affectum, vinculis ligatum, flagellis caesum, denique, cum omnia mala perpessus sit, in crucem sublatum, sed in his etiam immobilem et constantem [3]).

Haec si in Codice Sacro veteri Hebraeo legerentur, A.! profecto non dubitem equidem, quin omni aevo habita fuissent vaticinia praesignificantia

---

[1]) *Epist.* 6.

[2]) *De Republ.* VI, p. 500, 501.

[3]) *De Republ.* II, p. 361, 362. Hunc locum laudans, CLEMENS ALEXANDRINUS, *Strom.* V, p. 714, dicit: „Uti Scriptura, ita PLATO haec dixit, paene *προφητεύων τὴν σωτήριον οἰκονομίαν.*"

IESUM CHRISTUM illum, qui èt sursum semper ad Deum divinaque omnia oculos fixos tenebat, ut in humana societate divinis contraria omnia deleret summamque cum Deo coniunctionem et similitudinem in gente humana efficeret, èt vero pro hac salute nostra cruci affixus sanctitatem ostendit in mediis etiam atrocissimis cruciatibus constantem.

Caeterum notissimum est, Stoicos imprimis fuisse, qui illam Sapientis imaginem constanter proponerent, verbis adornarent, et quantum liceret perfectam exhiberent, ut scilicet homines maxima imitando optime magna consequerentur [1]). Et vero, sapiente perfecto opus esse generi humano, nemo acutius vidit aut luculentius significavit, quam SENECA, de generis nostri perversitate quam maxime dolens. „Omnes," inquit, „peccavimus; alii gravia alii leviora; alii ex destinato alii forte impulsi aut aliena nequitia ablati; alii in bonis consiliis parum fortiter stetimus et innocentiam inviti ac renitentes perdidimus. Nec delinquimus tantum, sed usque ad extremum aevi delinquemus" [2]). Quare, uti sapientiam laudabat magistram animorum, multosque philosophos agnoscebat praeceptores hominum; ita illum, quem mente sibi perfectum informabat Sapientem, appellabat „generis humani paedagogum" et institutorem [3]).

Quem autem veteres philosophi mente tantum sibi fingere poterant, hunc verum Sapientem vehementissime desiderabant. Ita EPICTETUS: „Unum mihi," inquit, „talem exhibete, ut eum adspiciam, quem iamdiu quaero. Hoc beneficio, quaeso, me afficite, hoc spectaculum, quod nondum vidi, seni homini praebete. Talem illum, qui cum Deo penitus consentire velit et in mortali hoc corpore cum Deo ita communionem habere, ut divinus aliquis homo sit, ostendite talem; sed non potestis" [4]). Pariterque SENECA: „Ubi," rogat, „ubi Sapientem invenias, quem tot saeculis quaerimus?" [5]) — Potuisset SENECAE aequalis, qui aliquamdiu, ut videtur, cum eo in eadem urbe Roma degit, PAULUS Apostolus respon-

---

[1]) Conf. SENECA, *de Benef.* VII, c. 23.
[2]) *De Clementia*, I, c. 6.
[3]) *Epist.* 89.
[4]) EPICTETI *Dissertationes, ab Arriano digestae*, L. II, c. 19, § 24—27, ed. Schweighaeuseri, T. I. p. 289.
[5]) *De Tranq. animi*, c. 7.

dere, praedicando Euangelio illius Iesu Christi, in quo „omnes divinae sapientiae thesauri sunt genti humanae concessi" [1]).

Argumentum orationis meae quam brevissime poteram exposui. Philosophos veteres complures vidimus egregie sensisse, homini per omnem vitam sectandam esse cum Deo similitudinem, virtute et sanctitate contentam; effici illam debere in societate humana, per institutionem informanda eaque omne genus humanum complectente; in hac autem requiri Sapientem, perfectum illum et divinum hominem, societatis huius principem, generis humani institutorem. Quod vero illi necessarium esse senserunt et summopere desiderarunt, id Deus per Iesum Christum genti humanae plenissime perfectissimeque praestitit. — Nunc hoc mihi concedite, A. H.! ut quo illud tendat, sive quodnam huius argumenti sit pretium, paucis indicem et quasi digito monstrem.

Et ipsam quidem hanc divini Euangelii praesensionem in excellentissimis ingeniis humanis observare, magni pretii est.

Neque enim quemquam fore confido, qui illam philosophorum praesensionem negare aut potius ignorare velit. Non est ea a me ficta, adornata, aut ad opinionem quamcunque meam pro arbitrio excogitata. Certissima est et verissima, ipsa testante historia. In historia a me est simpliciter observata et indicata, ut eam adesse unusquisque facillime ipse cernat. Quod autem adesse historia, lux illa veritatis, aperte testatur, id vel negare vel ignorare, quid aliud est quam luci splendenti oculos claudere, idque, quod in historia humanitatis est Divina providentia ordinatum, audacter impudenterque dissimulare? Sed et nulla est, me iudice, dissimulandi causa.

Quodsi cui enim haec humana cum divino Euangelio consensio minus huic honorifica videatur, is me minime sibi assentientem habet, imo contraria omnia iudicantem. — Etenim qui divinum hoc nobis dedit Euangelium, idem Deus est, qui homines nos creavit divinoque nos instruxit

---

[1]) Conf. *ad Coloss.* II: 3.

ingenio: atque adeo quod verissime est humanum cum eo quod prorsus divinum est, natura sua conspirat. — Praeterea si sapientissimi olim naturae nostrae indagatores humanas necessitates naturaeque desideria alte persenserunt luculenterque pronuntiarunt, gratiae sane nobis sunt maximae habendae Deo, qui illis necessitatibus penitus satisfecit, desideria haec perfectissime implevit. — Insuper mihi videor verissime dicere, in homine explicari nihil unquam posse aliud, nisi cuius sit ingenio suo capax; atque adeo Iesu consilium homines omnes consociandi tum demum vere attingi posse certoque aliquando penitus effectum iri, si hominum omnium naturae congruit, necessitatibus humanis plane satisfacit divinum ipsius Euangelium.

Deinde ad argumenti pretium ex vero aestimandum minime hoc est negligendum: perfectionis illam in antiquitate praesensionem èt ipsam apud veteres imperfectam fuisse èt cum ingenti iunctam desiderio. — Uti enim adolescens adultae et virilis aetatis perfectionem imperfecte admodum praesentire solet, ita in adolescente genere humano non nisi imperfecta erat praesensio eius perfectionis, quae, utpote nondum patefacta, neque conspici oculis necdum ex vero animo comprehendi poterat. — Ipsa illa laudatissima hominis cum Deo similitudo ita fere erat comparata, ut, prouti artificem summum reliqui artifices mirantur et propterea imitari student, ita Deum imitetur homo. Intimam illam hominis cum Deo communionem et religionis eam vim, qua, ut patrem optimum filius diligit, amat, toto animo amplectitur, sequi per vitam omnem vult, ita patrem Deum amant filii, ut unus ille, qui perfectus erat Dei Filius, hanc igitur veteres ne suspicati quidem sunt. — Quid dicam de perfecta sive societate sive republica, in qua fingenda Plato, ut coniunctionem maximam exhiberet, ad absurdam adeo bonorum, imo foeminarum communionem delapsus est. Scilicet neque ille, neque quisquam aut philosophorum aut prophetarum aut hominum omnino, sese erigere unquam potuit ad sublimem illam, una divina animorum communione efficiendam, consociationem fraternamque filiorum Dei familiam, quam solus in humano genere voluit Iesus Christus. — Quid de perfecto dicam Sapiente, quem sine peccati aut macula aut certe recordatione ne fingere quidem audebant veteres; nam, ut Zeno et Seneca aiunt, „etiam cum in eius animo vulnus sanatum est, cicatrix tamen

manet"[1]). Sunt illae veterum, etiam maxime illustres, Sapientis imagines, si cum sancta IESU, divini hominis, vita comparentur, stellarum instar, quarum prorsus evanescit lumen oriente sole, qui luce sua omnia perfundit, quique simul vim excitat ubique vitalem.

Et vero, quod, vel me non monente, ipsi iamdiu intelligitis, A.! notandum imprimis est ingens illud veterum desiderium perfectionis, quam nos in IESU CHRISTO cernimus et quam ab ipso partim effectam esse videmus, partim magis magisque in genere humano effectum iri certo speramus. Quam veteres philosophi mente sibi proponebant hominis cum Deo similitudinem, quam fingebant perfectam societatem, quam verbis comprehendebant perfectam Sapientis imaginem, hasce re factoque exhibere, efficere et in humano genere praestare ipsi se non posse sentiebant summoque cum desiderio profitebantur. — Et vero philosophia cognitionis lumine illustrare mentes hominum potest, quamquam, quod addendum, paucorum admodum hominum, qui ad philosophiam et nati et exculti sunt. Vitam vero, vitam animorum, vitam quorumcunque hominum efficere divinam potest unice vita ipsa, eaque divina, non verbis tantum conspicua sed factis, sed exemplo, institutione, amore ad mortem usque omnia sacrificante. Quod igitur homines non poterant, hominibus perfectissime praestitit Deus, IESU CHRISTO genti humanae dato, humanissimo eodemque divino omnium Duce et Conservatore.

Plura addere possim: veluti illud, inanem esse et fundamento omni carentem eorum opinionem, qui vividam perfectissimae et plane unicae IESU personae descriptionem a primis eius amicis et sectatoribus fingi potuisse censent; cum historia omnis testetur, ne summa quidem in toto genere humano ingenia, suo omnium labore coniuncto, id assequi potuisse, ut vel mente sola comprehensam plane puri divinique hominis notionem perfecte sibi informarent. — Sed id et quae eius generis alia sunt, nunc praetereo; unum hoc addo: ex his etiam cerni, quae verae philosophiae cum verissima religione, Christiana, sit coniunctio. Verae, inquam, philosophiae. Nam in rebus moralibus et religiosis sapiat oportet philosophia, ad SOCRATIS et sapientissimorum philosophorum antiquorum exemplum,

---

[1]) Vid. SENECA *de Ira*, I, 16.

non tam e communi physico rerum omnium complexu, ad quem ut particula quaedam homo pertinet, sed potissimum ex interiori, morali, spirituali hominis natura, mundum reliquum omnem longissime superante Deoque cognata. Caeteroquin enim, ut inter veteres in ipso partim ARISTOTELE et in Neoplatonicis imprimis conspicitur, in materialismum, in pantheismum, aut etiam in determinismum ruunt philosophi et in similes errores, virtuti et religioni noxios, imo plane perniciosos. Vera autem philosophia, si e divino illo homini dato praecepto procedit: *γνῶθι σεαυτὸν*, non modo praesentiet quodammodo, uti in antiquitate, sed magis magisque persentiet et clarissime pronuntiabit, quaenam naturae humanae necessitates sint, quae generis nostri desideria summa. Illas cognoscere, haec excitare, alere, dirigere egregie philosophia potest. Veruntamen illis necessitatibus penitus et apud omnes satisfacere, haec desideria plane explere in homine et in genere humano una potest Dei per IESUM CHRISTUM institutio, qua omnes, ipsi se penitus confidentes, redduntur Deo coniunctissimi et simillimi, eoque ipso, secum invicem consociati, homines fiunt, ut esse debent, humanissimi.

Quae Academiae nostrae fausta aut etiam minus fausta acciderunt, ut commemorem, lex postulat, animus iubet.

Salvus est Rex Augustissimus, qui ut singulari benevolentia Academias semper complectitur, ita nunc Filium suum, imperii haeredem futurum, ad gravissimam dignitatem tum reliqua disciplina, tum vero etiam institutione Academica praeparatum esse, gaudet: gaudent cum ipso cives boni omnes.

Salvi item sunt huius Academiae Groninganae Curatores, Viri Nobilissimi, Amplissimi. Neque salvi modo sunt, sed et ita rebus nostris prospiciunt, ut, quantum per praesentem legum conditionem licet, curent, ut hodierni temporis desideriis et necessitatibus Academia satisfacere queat. Quod ut pro sua et benevolentia et sapientia agere pergant, enixe et confidenter rogamus.

Salvos vero etiam esse Professores omnes, ipsos etiam Viros Clarissimos DE GROOT, VAN HALL et VAN REES, e morbo convalescentes, impense laetamur. — Collegarum coniunctissimorum nonnullis tristiora, aut etiam tristissima acciderunt, compluribus vero etiam contigerunt laetiora multa.

Die 16 mensis Decembris tu, amicissime MUURLING! peractorum in Euangelii praeconio 25 annorum memoriam recoluisti, modeste, ut soles, et laete. Laetissimo et grato erga Deum animo tecum recoluerunt collegae, discipuli, et amici, qui tibi sunt plurimi. Namque tu Euangelium uti praeconio ita vita tua sic commendare soles, ut non nobis modo, Academiae civibus, sed et coetus Christiani sociis egregie prosis. Te, ut animi sanitate viges, ita etiam corporis sanitate atque vigore florentem diutissime reddat Deus O. M., ut Ecclesiae aeque atque Academiae insigni pergas esse emolumento, discipulosque Euangelii praecones informes plurimos, tui quam simillimos.

Brevi postea, eiusdem mensis Decembris die 21 te salutavimus, aestimatissime DE LA FAILLE! quum per quartam saeculi partem munus tuum Academicum peractum celebrares. Quod ut ipsi toto animo egimus, ita te salutantes audivimus permultos, tibi penitus devinctos, imprimis discipulos et qui nunc sunt et qui antea fuerunt, gratissimo animo optimum te magistrum laudantes. Alacri, quo es, animo tu, favente Deo, sic vivere pergas, ut et doctrina insigni et vero eximio tuo exemplo medicos informes egregios, simulque huius urbis et regionum circumiacentium incolis prosis admirabili tua medicae artis sagacitate.

Tibi, Collega optime VAN KERCKHOFF! cum lectissima et tibi dilectissima virgine initum matrimonium valde gratulati sumus. Prosperam tibi et uxori tuae vitam largiatur summus rerum humanarum Moderator, ut et ipse laetus vivas et hilari animo pergas societati humanae et Academiae nostrae prodesse quam diutissime.

Dolemus tecum, amicissime HECKER! fratrem tibi morte ereptum esse, aetatis flore vigentem. Tu, qui in eodem aetatis flore summa cum animi alacritate et indefesso studio in literas incumbis, quaeso, ita corporis viribus et parcas et prospicias, ut spes nobis esse possit, fore ut in provectam usque aetatem Academiae patriaeque ornamento sis atque honori.

Dilectissimo Collegae VAN HALL et laeta hoc anno et tristia acciderunt. Gaudemus cum ipso de inito et filiae et filii honesto atque, ut speramus, felici coniugio. Lugemus vero etiam cum eo mortem Patris carissimi. Luctum vero hunc ipse aequo animo tulit. Et sane, quamvis acerbum sit optimo patre, licet iam sene, orbari; insignis est haec felicitas iudicanda, tali Viro, familiae suae ornamento eodemque et in patria et in civitate literaria honoratissimo, gloriari posse patre ad extremam usque aetatem vigente. Ipse Vir Clarissimus, favente Deo, Patris instar, ad ultimam usque senectutem vigeat!

Et tu, Clarissime VAN DEEN! sortis humanae vicissitudines expertus es. Te Professoris ordinarii emolumento atque honore ex merito condecoratum esse, gavisi sumus. Sed et lugemus tecum maximopere, dilectissimam coniugem tibi tuisque morte esse ereptam. Lugent vero etiam, quod in optimae Matronae honorem commemorandum est, pauperes multi, quibus ipsa pie atque liberalissime benefacere solebat. Te sustentet Deus omnipotens, ut diutissime permultis doctrina, vita et arte tua salutari beneficus esse queas.

Vir integerrime, Collega aestimatissime PHILIPSE! Regia te munificentia Ordinis Leonis Belgici insignibus condecoravit. Quo honore si vel ipse non maximopere gloriaris, scito tamen, nobis, te et amantibus et magni facientibus, honorem hunc tuum meritissimum perquam accidisse laetum. Laetamur etiam et gratias tibi agimus, quod tu CORNELII STAR NUMAN, qui dilectissimus nobis collega fuit, vitam describere volueris. Viri imaginem, accuratissime, ut soles, delineatam, ex vero expressam, et, ut decet amicum, perquam amanter depictam, nobis exhibuisti. Dignum et illo et temet ipso monumentum exegisti.

Illius CORNELII STAR NUMAN, cuius mors nobis acerbissima accidit, cathedram etiam doluimus diutius, quam Academiae commoda ferre poterant, per annum adeo integrum vacuam esse relictam. Hanc vero grato animo agnoscimus Academiae nostrae Curatorum sapientem et benevolam curam, qua tot tantaque, quae ille solus exantlavit, negotia non uni successori ferenda iudicarunt, sed a Rege Augustimo petiverunt, ut duo Viri Clarissimi Ordini Iuridico adiungerentur, quo facilius hic posset et plenius nostri temporis desideriis satisfacere.

Te igitur laetissimo animo salutavimus collegam, Vir Clarissime GRATAMA! pariterque Virum Clarissimum VAN REES. Tu quidem cum antea hac in Academia studiis rerum humanarum divinarumque operam dabas, discipulus nobis fuisti carissimus; tui autem in iurisprudentia magistri iam tum, peracto vix curriculo Academico, te ad cathedram ornandam aptum iudicabant. Alter scriptis editis compluribus eruditissimis Patre, Viro Doctissimo et Clarissimo, qui Academiae Rheno-Traiectinae ornamentum est, se iam dignissimum praestitit filium. — Uterque laetam, quam de vobis suscepimus, spem iam nunc iuvenum Academicorum usibus egregie prospiciendo, praeclare confirmatis. Propitius vobis semper adsit Deus O. M.

Ad vos venio, Iuvenes praestantissimi, huius Academiae alumni! — Ex ordine vestro tres uno hoc anno flebili morte occubuerunt, A. A. VAN ANDRINGA DE KEMPENAER, I. I. POSTER et B. BLEYENBERG, qui singuli vobis dilecti, familiae suae carissimi, Academiae nostrae in primo aetatis flore sunt erepti. Vos igitur mementote, tum demum institutionem, ut omnem, ita Academicam rite procedere, si non tantum reliquae vitae praesentis sed etiam futurae et immortalis sit apta praeparatio. — Caeterum, Iuvenes optimi! parum sit si dixerim, mihi vos magistratum meum non molestum reddidisse; imo publice profiteor hunc longe plerorumque bonitate morum et omnium erga me humanitate admodum facilem mihi fuisse et iucundum. Studiorum autem diligentiae, eiusque apud haud paucos magnae aut etiam maximae documentum praebent examina, promotiones, complures etiam publice editae hoc anno dissertationes. — Unus imprimis nobis nominandus est Iuvenis egregius, H. BEINS, qui dissertatione, qua summos in Medicina honores consecutus est, instrumentum descripsit physiologicum utilissimum, quod ipse magnopere vel emendavit vel perfecit; quique propterea ab Ordinis Medici Professoribus et ab Academiae Curatoribus Regi Augustissimo commendatus, hoc insigne emolumentum nactus est, ut Regia munificentia ipsi liceat itinere in exteras Academias instituto studia sua ulterius perficere. — Denique, ut anno praecedenti complures etiam nostri alumni in certamine literario victores hic sunt praemiis ornati, ita hoc anno Iuvenis praestantissimus, S. VAN HOUTEN, Iuris candidatus Groninganus, in Academia Leidensi praemio est condecoratus. — Pergite vos omnes ita et studiis et moribus vestris prospicere, ut Academia haec

nostra alumnorum, si minus numero, certe praestantia magis magisque inclarescat.

Ad finem properat oratio. — Ut antea aliorum, qui olim hac in Academia Professores fuerunt, ita nuperrime duorum Virorum Clarissimorum MUNTINGHE et VAN OORDT pictas effigies accepimus, alteram dono Viri Clarissimi DE GROOT duorumque eius affinium VAN HERWERDEN, alteram ipsius pictoris Groningani ENSING. Pro quibus donis tanto magis gratias agimus, quanto certius constat, utrumque illum Virum olim Academiae nostrae fuisse ornamento. — Bibliothecae, museis reliquisque studiorum adminiculis sedulo prospicitur, quantum licet per subsidia, quae non admodum larga, imo, si cum aliis regionibus Europaeis instituitur comparatio, parca potius manu hactenus Academiis Nederlandicis conceduntur. Quare, si vel insignis urget necessitas, vel singularis aliqua sese offert opportunitas, saepius Academiae nostrae Curatores subsidiis nos iuvant extraordinariis. Ita hoc anno Museum Zoologicum incrementum mammalium et avium non contemnendum accepit e collectione Viri Clarissimi LIDT DE IEUDE. Nosocomium vero non modo Academicis, sed etiam Provincialibus et Urbanis subsidiis gaudet. Quapropter ad hoc institutum, quod et magno, imo maximo aegrotantium numero salutare est, et medicis practice informandis egregie inservit, omnibus modis perficiendum, nihil deesse solet. — Denique Bibliotheca, uti fere quotannis, ita hoc etiam anno increvit complurium donis, tum Curatorum et Professorum, tum aliorum, qui in hac urbe et in patria nostra, imo etiam in peregrinis regionibus literarum studiis favent. Quod lubenter commemoramus, ut gratum publice datoribus animum testificemur, et horum exemplo rem omnibus commendemus.

Peractis igitur iis, quae munus meum postulabat, iam lectum in annum sequentem ab Augustissimo Rege Rectorem Magnificum proclamo IOSUAM IOANNEM PHILIPPUM VALETON. Tu, Vir Clarissime! mihi Rectori egregius adfuisti Actuarius. Nunc permutatis vicibus, tibi Magnifico Rectori ego assidebo Senatus minister. Salve autem, Vir Magnifice! Te Rectore ut vigeat, floreat, crescat Academia nostra, faxit Deus O. M.

Cui Patri benignissimo sit laus, honos, gloria!

DIXI.

BERNARDI IANI GRATAMA

ORATIO

DE

INQUISITORIO PRINCIPIO ET ACCUSATORIA FORMA IN PUBLICIS IUDICIIS RECTE DISTINGUENDIS,

HABITA GRONINGAE

A. D. XV M. APRILIS A. CIↃIↃCCCLVIII,

QUUM ORDINARIAM IURIS PROFESSIONEM SOLEMNITER AUSPICARETUR.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES VIRI AMPLISSIMI ILLUSTRISSIMI.

QUI HIS AB ACTIS ES VIR CONSULTISSIME.

RECTOR MAGNIFICE CAETERIQUE ARTIUM AC DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI.

QUI IURI DICUNDO ET CIVITATI REGUNDAE PRAEESTIS, VIRI PRUDENTISSIMI, SPECTATISSIMI.

DIVINI VERBI MINISTRI FACUNDISSIMI PLURIMUM VENERANDI.

ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI, PERITISSIMI.

ACADEMIAE NOSTRAE CIVES, IUVENES OPTIMI, LECTISSIMI.

CUIUSCUMQUE DENIQUE LOCI ET ORDINIS HIC ADESTIS AUDITORES HUMANISSIMI [1].

More institutoque maiorum academicum docendi munus suscipienti capessentique, pro concione virorum in omni artium disciplinarumque genere clarissimorum, proque ornatissimorum quorum iam praeceptor existes, iuvenum corona, publice verba facienda. Hoc ipso indicatur argumentum, unde sumendum et qua ratione tractandum.

Sumendum ex disciplina quam iam traditurus es, ut vinculum adsit inter ea quae dicas et diei solemnitatem. Non autem ex arcanis ut ita

[1] Typis expressa est oratio, uti recitata fuit, non vero uti scripta. Ne enim tempus nimis longum dicendo consumeretur, plura hic illic omittenda contrahendave fuerunt. Alii in iisdem angustiis versati, orationem scriptam potius typis mandandam censuerunt. Mihi autem veritatem fidemque historicam observare tuerique praestare visum est. Huic causae tribuat benevolus lector, si quem nacta fuerit oratio, quae sibi vel minus recte cohaerere vel brevius nimis obscuriusque exposita videntur.

dicam disciplinae, locus est seligendus, ut et iis qui in aliis artibus atque disciplinis vitae posuerunt castra, ut et iuvenibus qui tirones nostra sequuntur signa, placeat oratio. Hoc in ratione quoque qua argumentum tractas tenendum. Alte quidem et ut oportet a capite, omnia repetenda, sed non nimis accurata subtilitate omnia persequenda. Hoc tandem enitendum, ut ratione et methodo qua tractatur argumentum, omnibus quibus haec res curae cordique, iam appareat, quis qualisque sis, pernoscant omnes, tirones adeo nostri, quo modo in disciplinis quas docendi munus iam suscipis, tradendis versaturus sis.

Haecce omnia animo reputanti, visum est verba iam facere de inquisitorio principio et accusatoria forma in publicis iudiciis recte distinguendis.

Hoc volo, in foro poenali, in causis tractandis criminalibus omnibus, per totum iudicii cursum, inde a limine litis usque ad sententiam executioni mandatam, distinguendum esse inter principium quo regitur, formamque quam induit iudiciorum ordo, illudque unice probandum inquisitorium, hancce accusatoriam.

Hisce autem non distinctis proponi solet quaestio illa vexatissima: in iudiciis publicis, processus utrum inquisitorius an accusatorius. Nec agitatur haec quaestio de iure tantum constituendo, sed et de iure constituto. Agitatur non tantum ab ICtis, non tantum a viris doctis et eruditis, sed a rudibus etiam indoctisque hominibus. Agitatur ore et rostris non tantum, sed nostra etiam memoria manibus adeo et armis.

Omissa autem quam commendo distinctione, quaestio solvi non posse videtur, nec adeo satis perspici, quid sibi velint diversarum partium assertores. In tali, tanta, tam vexata quaestione omissa distinctio necessaria, confusio eorum quae separanda erant, nocere debuit magnopere, reque vera nocuit.

Ita cum paucos ante hos annos vicina in Germania clamarent omnes processum inquisitorium in iudiciis publicis penitus esse abrogandum, eique processum accusatorium substituendum, pro populari clamore satis bene satisque accurate quid sibi vellent perspiciebant. Procedendi methodo, qualem in Germania, populo ut ita dicam e curia et foro educto, undique conflaverant ICti, substituere volebant processum, qualis in Franco-Gallia et Anglia obtinebat. Et bonitate naturae ducti satis bene quod sibi proposuerant, assecuti sunt. Accuratiores notiones, iustae distinctiones a ICtis

sperandae fuissent. Eorum erat iuris praesentem conditionem melius quam populares pernosse, latentia quae hos fugiunt principia tenere, praesentem inprimis populi conditionem utilitatem necessitatem perspicere. Sic edocti, ubi iam iuris conditio mutanda emendandaque esset, praeire monstrare viam, saxa syrtesque quae evitandae indicare potuissent et debuissent. Sed, eheu! dicere fere pudet, hic nostra aetate populo defuerunt ICti. Signa quae ipsis efferenda fuissent, ab aliis elata fere secuti sunt. Nec nostrorum hic moror gregem sed principes nostra in disciplina viros. Ut alios taceam, Mittermaier, Zachariae, qui per tot annos in disciplinae nostrae fere omnibus partibus primum tenuerunt locum, quorum inprimis tunc temporis tanta auctoritas, nil fere praeter popularem vulgaremque monuerunt sapientiam. Solus fere Köstlin, qui unus probavit omnium quid, quantum, quale et in brevissima vita et infirma valetudine praestari posset, opiniorum popularium fluctibus egregie restitit. Nec tamen et hic istarum opiniorum laqueis, quibus et ipse obstrictus erat, prorsus se exuere potuit.

Iam autem hoc ultimis hisce annis in Germania intelligi coeptum. Instituta iurisque placita tunc temporis sancita, quibus si non per saecula at saltem per decennia laborabit Germania, opinionibus istis popularibus, ipsi Germaniae ICti accepta referunt. Ex omnibus unum hic citare sufficiat auctorem Planck, virum subtilissimi ingenii, accuratissimae doctrinae.

Neque accuratiores hac de re apud nos, apud Anglos, apud Franco-Gallos inveneris opiniones. Nam et apud hos, etsi non manu armisque nec adeo tantis animis, quia hi populi nunquam sibi prorsus eripi passi sunt, quae Germanis erant recuperanda, eadem saepenumero agitata est quaestio. Saepius etiam quamvis non diserte proponatur, hac de re agitur. Nam longe lateque profecto res serpit, et subest ista quaestio omnibus fere dixerim caeteris, quae in disciplina de iudiciis publicis agitantur.

Praecipua illarum minus accuratarum opinionum causa in ipso quaerenda videtur modo, quo vulgo quaestio proponitur. Aiunt enim, visne tu processum inquisitorium an accusatorium? Est autem hoc vitiosum et captiosum disputandi genus. Primum demonstrandum fuisset revera alterutrum eligi debere, revera tertium non dari. Hoc autem demonstrari oportuisse saepius ne cogitatum quidem fuisse videtur. Si tamen semel dilemma illud admiseris, si non audacter te hac ratione circumscribi nolle affirmaveris,

22

videas quid tibi velis, quoque modo te expedias. Alterutrum eligendum. Quidquid elegeris premeris difficultatibus, quibus te explicare non poteris. Sua enim et processui inquisitorio et accusatorio propria sunt incommoda, quae si ulla, certe nostra respuit aetas impositaque nunquam feret. Et sic hic etiam: „Incidis in Scyllam cupiens vitare Charybdim."

Utramque ut evitarent summi quos laudavi viri Mittermaier, Zachariae, Köstlin nil antiquius habuere, quam processui quem quisque laudibus efferebat, omnia commoda vindicare, incommoda propria esse ulla negare.

Frustra id quidem. Sed ut hoc mittam hac doctissimorum virorum dissensione, magis etiam apparet non recte fuisse quaestionem propositam. Nam si processus inquisitorii et accusatorii vocibus, toto coelo diversa possunt intelligi, inter eos electione facta, ad iuris regunda singula instituta, singulaque sancienda placita nil omnino provectum, et nisi ad haec regunda sanciendaque quid faciat disputatio, inanis prorsus videtur nec operae pretium.

Praestare igitur videtur relicta hacce via, prorsus aliam inire.

Distinguendum inter principium quo regitur, formamque quam induit iudiciorum ordo.

Principium dicatur finis, quo spectant quo tendunt iuris placita institutaque omnia. Hic finis, qui rei ipsam naturam et medullam quasi regit, omnes qui hisce institutis et placitis utuntur, ipsos adeo conditores latere et fugere potest.

Forma autem est externa rerum facies, quae omnium oculis cernitur, quamvis fortasse et causae quae hanc regunt et efficiunt, populares aequalesque lateant.

In iudiciis privatis tritum illud proverbium: iudex ne ultra petita. Privatorum res enim in iudicio vertitur, non publica, non populi. Secum agendi tantum potestatem facit magistratus, agunt ii quorum interest. Faciant hi quid sibi videatur, non curat magistratus. Solummodo si postulatur, sententiam pronunciat et nonnisi de iis, quae sibi proponuntur. Hisce proponendis non intervenit, nisi ut litigantes officio contineat, ne se invicem circumscribant, ut ordo servetur iudiciorum. Huius rei vis late longeque diffunditur, in omnibus privatorum iudiciorum cernitur placitis institutisque.

Est hoc quod dicunt, privatis in iudiciis veritatem tantum investigandam formalem. Est hocce principum quod Germani *Verhandlungsmaxime* vocant.

Et sane res est magni momenti. Libertatis civilis fundamentum et praesidium recte dixerim, quo sublato etsi populi comitiis et suffragiis respublica omnis gerenda relinquatur, de omni libertate actum erit. Magistratus etiam populares privatis civium se immiscere rebus, populi quo verae libertatis studiosiores, eo minus toleraverint. Cernitur hoc vicina in Germania. In plerisque regionibus hereditatem adire, rem immobilem, ne minimum quidem agellum, alienare vel pignori obligare tibi non permittitur, nisi antea ius tuum magistratui probaveris. Quomodo hoc Americani, Angli, nostrates, Galli adeo ferrent? Et tamen cum nostra memoria in Germania omnia libertatis clamore replerentur, cum adeo in iudiciis publicis processum flagitarent accusatorium, vitam civilem a magistratibus liberare ne cogitasse quidem videntur.

Haec iudiciorum privatorum natura varios apud populos variis aetatibus magis minusve apparet. Sed nunquam prorsus exuitur. Nec adeo exui potest; sed quo studiosius opprimitur eo magis eminet. Huius rei exemplum praebet Fridericus II Borussiae rex. Hic ut, quod ipse prae se ferebat, cives ab advocatorum fraudibus et litium impensis salvos praestaret, iudiciorum ordinem alio superstruere fundamento decreverat. Ut advocatis careri possit, magistratus ipse ageret, ipse causam instrueret, petitorum finibus non contentus quid in quaque causa verum esset inquireret, et secundum veritatem iudicaret materialem. Sic reiecto quod dicunt Germani *Verhandlungsmaxime*, iam litigaretur secundum quod iidem vocant *Untersuchungsmaxime*. Videtis, auditores, consequentia, quae primis concessis reprehendi iam non possunt. At eo tamen et rex ille, cui, si ulli, pro ratione stabat voluntas, progredi non est ausus. Non ista sancivit consequentia regius rerum novator. Sic, ut alia mittam, penes privatos sui iuris cives plerumque mansit arbitrium, an ad magistratus provocaretur, et nisi in causis exceptis sine provocatione magistratus non intercedebat. Sed tamen et sic, reiectis hisce aliisque quae principium semel admissum secum ferre videtur, adspernante natura, nova diu stare non potuerunt instituta. Brevi nomine relicto, res fere penitus sublata fuit, ita ut et nunc in Borussia

ordo iudiciorum privatorum non discrepet fere ab eo, quo cetera utitur Germania.

Alia omnia in publicis usu veniunt iudiciis. In iis res non agitur privata sed publica. Poena delicti sumenda privati laesi non interest, sed omnium, reipublicae civitatisque. Poena enim non est rei persecutio, non damni dati resarcitio, sed iuris violati idealis vindicatio. Hac, quamvis ipsius natura non perspiciatur, carere non potest, nec unquam caruit humani generis vitae coniunctio. Et quo magis haec coniunctio iure ordinatur, quo magis crescit reipublicae magistratuumque auctoritas, eo magis haec poenae perspicitur natura, si non perspicitur sentitur tamen, et si non sentitur in vitae usu saltem apparet, vimque exserit suam.

Si omnium, non singulorum qui sunt laesi, interest idealis ista iuris vindicatio, quam poenam vocamus, privatorum arbitrio permitti non potest eius persecutio. Privati enim iniuriam non persequentes vel tergiversantes vel praevaricantes, omnium laederent iura. Si humani generis vitae coniunctio nunquam poenis, ideali ista iuris vindicatione, caruit, nec defuit unquam privatorum arbitrii poenarum in persecutione coercitio quaedam saltem et circumscriptio.

Privatorum autem in persequendo arbitrium si iudiciis proprium est privatis, omne coercitionis circumscriptionisque vestigium alii, diverso prorsus principio tribuendum. Hoc principium, quo latius serpente illud arbitrium in dies magis coercetur tolliturque tandem, recte inquisitorium principium mihi vocare videor.

Hoc principium igitur cum vera poenae delictique natura cohaeret. Si delicta puniri omnium interest, privatorum arbitrio hoc relinqui non potest.

Iuvenili autem omnium populorum aetate confunduntur saepe, nec distinguuntur multa, quae virili aetate, quae a nobis seiungi, divelli adeo solent.

Confunduntur sic humana et divina, publica et privata, res publicae administrandae gerendaeque, leges ferendae, iura reddenda.

Cumque nulla fere vel minuta esset reipublicae auctoritas, omnia quae non ad singulos singulasque familias spectabant, ad Divinum referebant numen. Delicti et poenae vera natura per saecula nonnisi in flagitiis illis apparet, quae directo contra divinum numen committi videbantur. Cum notio civitatis, universitatis ab hominibus conditae et singulis tamen etiam

invitis impositae, quae hominum naturali vitae coniunctione iure ordinata efficitur, homines lateret, Divini numinis tutelae directae commissa, tuta videbantur quae omnium intererant, et sic servata quae illius temporis utilitas et necessitas postulabat. Sic religio civitatis vice fungitur.

Flagitia illa quae contra divinum numen commissa videbantur, in quibus ita primum cernitur vera delicti poenaeque natura, non privatorum arbitrio, sed officio puniebantur sacerdotum, quibus divinarum rerum mandata cura. Itaque et in iis prima adsunt inquisitorii principii vestigia. Et sic evincunt res humanas nunquam nec ideali ista iniuriae vindicatione, quam poenam dicimus, nec illius persecutione aliis quam privatis mandata caruisse.

In re militari deinde delicti eiusque iuris humani vera natura primum apparuisse videtur. Disciplina militaris homines iungit non eiusdem familiae socios. Iusta bella geruntur et inter eiusdem Divini numinis cultores. Nomina dantes non inviti sponte disciplinae isti sese obligant. Et sic tamen per saecula numen divinum exercituum disciplinae militari praesidere putatur, eiusque omnis violatio contra fas videtur. Sed tamen hic primum sentiisse videntur homines esse vinculum quoddam, quo et non eiusdem familiae socii humano iure iunguntur, imperio poenisque adeo subiiciuntur. Desertorum, emansorum, proditorum, profugarum, irreverentium militum poenae non privatorum arbitrio relinquuntur, sed, si primum sacerdotium officio, mox et plerumque ducum imperio expenduntur.

Sed et in puniendis delictis, quorum natura privati cuiusdam iuris laesionem requirit, iam antiquissimis temporibus non desunt vestigia, nec communis populi persuasionis haecce ad omnes quoque pertinere, nec coerciti subinde in illis persequendis privatorum arbitrii. Illa aucta et in dies longius latiusque serpente, hocce arbitrio magis magisque coercito tandemque fere sublato: hac in re tota continetur iuris criminalis publicorumque iudiciorum historia.

Ne totam hancce historiam persequar, ne longior sim nimio, plura omittenda, monendaque tantum nonnulla, quae proxime ad iudiciorum publicorum ordinem pertinent.

Quo praemia indicibus, quadruplatoribus, quo poenae calumniantibus tergiversantibus praevaricantibus constitutae, tendunt spectantque, nisi ut puniantur crimina, quid evincunt, nisi hoc reipublicae interesse putari?

Illud autem ipsum non tantum laesos, sed quemvis de populo reum deferre posse, nonne hoc etiam arguit crimina non ad laesos tantum, sed ad omnes pertinere, nonne accusatione omnibus civibus permissa, ignaviae incuriaeque laesorum medetur aliorum alacritas?

Quid quod Romae in quaestionibus perpetuis saecula ante quam in iudiciis privatis, testibus citatis obligatio sistendi erat imposita? quid quod lege a praetore accepta accusator ex adversarii domo etiam probationes sibi edi, codices adeo expensi et accepti sibi exhiberi, postulare poterat.

Quid? confessi in iudicio privato pro damnatis habentur. Secum fert hoc iudicii privati natura, non Romanum institutum. Quae reus confitetur, de hisce iudici nil pronuntiandum. In publicis autem iudiciis et Romae adversus confessos causa dicenda. Apud nos confessio quamvis probationum regina recte dicatur, tamen iudici in confessionis veritatem inquirendum. Apud Anglos ceterosque populos qui Anglico utuntur iure, magistratus reo confitenti, si de confessionis veritate dubitatur, suadet ut confessionem retractet.

Eandem refert naturam diversitas regularum, quae in causis civilibus et criminalibus litis contestationem, forum competens, magistratusque officium definiunt.

Cum v. g. apud nos, quae litis contestatione in iudicium sunt deducta minui et mutari, non permutari et augeri possunt in iudiciis privatis; in publicis iudiciis dummodo idem maneat actus, quo crimen perficeretur variari potest, adiici adeo quibus crimen aggravatur.

In causis civilibus rei forum sequitur actor, et nisi singularibus in causis vel rei sitae vel contractus vel solutionis forum hocce domicilii forum excipit. In criminalibus delicti commissi forum primum locum occupat, et ubi adeo reus reperiri potest accusari permittitur.

Quod autem ad iudicis officium attinet, quae ipsi producit accusator diiudicare debet et condemnare si ipsi de rei culpa constiterit; sed apud nos Franco-Gallos et Germanos absolvere ei non licet, nisi sibi persuasum habeat ampliando novasque afferendo probationes, dubia quae remanent tolli non posse.

Cum porro in iudiciis privatis tritum sit illud proverbium ne ultra petita iudex, poenam etsi multo graviorem quam fuit postulatum, si sibi ita

videtur pronuntiat. Dummodo actus quo crimen perficitur idem maneat, res et facta circumstantia adiiciendo vel demendo, alius criminis generis adeo condemnare potest, quam cuius accusatus erat reus. Sed hac in re apud nos, iuris placito singulari de quo valet quod dicitur: non omnium quae a maioribus instituta sunt ratio reddi potest, iudex gravioris eiusdem criminis speciei condemnare non potest, nisi accusator ea, quae lite contestata sunt comprehensa, auxerit.

In Anglia qua nulla in regione fere accuratius ordo iudiciorum definitur servaturque, peculiaribus legibus quid hac in re iuratis liceat praescriptum. Sic furti accusatum doli, violatae fidei vel fraudis erga creditores condemnari posse diserte sancitum. In eadem illa accurata subtilique ordinis iudiciorum observantia ne eo res perduceretur, ut qui in minimo errasset, litem perderet, peculiaribus statutis, quae *statutes of yeofails* dicuntur, cautum qui et qua ratione lapsus et errores emendari possunt. Et haecce quoque statuta multa emendari permittunt in causis criminalibus, quorum in civilibus in integrum restitutio frustra petitur.

Reos denique condemnatos in carcerem coniici, ibique publicis ali sumtibus, maximo est argumento crimina puniri non singulorum sed omnium interesse intelligi. Non magis hoc nostris in regionibus usu venit, quam in iis regionibus, quae Anglico utuntur iure. In his etiam regionibus accusatoribus plerumque litis impensae, quae a reis recuperari non possunt, e publico restituuntur.

Sed quid plura. Evicisse mihi videor, omni aetate, apud omnes populos inquisitorio principio iudicia publica nec caruisse nec carere potuisse. Sed fines quibus circumscribitur varie reguntur, varieque regundi pro moribus, consuetudinibus, praesenti conditione, suaque cuiusque gentis indole.

Iam videamus de forma.

Quae forma accusatoria sit dicenda iam indicavi. Est forma quam referunt iudicia privata. Ut in his actor quae sua interest, sic in illis accusator poenam persequitur. Iudex non agit, secum tantum agendi potestatem facit. Coram eo, ut in iudiciis privatis actor et reus, sic in publicis accusator et reus diversas sustinent partes. Ipse tantum de iis quae sibi probata sunt pronuntiat.

Inquisitoria forma crimina vindicantur si sua sponte, nullo postulante

magistratus, quibus hoc munus mandatum, causas instruunt deciduntque. Eadem ratione qua de ceteris reipublicae administrandae partibus statuitur, ipsi agunt, sibique vident, ubi, quando, quid sit agendum.

Utriusque formae quasi plures sunt species. Accusat aut laesus, aut quivis de populo, aut peculiaris hanc in rem constitutus magistratus. Alia etiam huius formae species, qua apud Franco-Gallos laesus *crimen* in iudicium deducit, hac re accusatorem provocat publicum, et hic tandem poenam postulat.

Inquisitoriae formae iudicium ita ordinatum esse potest, ut apte in partes suas sit distributum, utque diversa causae peragendae stadia rite distinguantur. Possunt etiam haec magistratui ita relinqui ut prorsus ab ipsius pendeat arbitrio, quo modo, quaque ratione sibi de criminibus commissis probari velit. Inter haec extrema plures sunt gradus quasi intermedii.

Sic in inquisitione canonica libelli forma erat accurate definita, quem iudex causa cognita reo edi curabat. Edito libello diversa litis stadia distinguebantur, et lite quasi contestata quae in iudicium deducta finiebantur. Praeterea probationes definitae quibus de delicto constare debebat. Haec species deinde in saecularia migravit quoque iudicia. Sed mox ille libellus fere obsolevit, nostraque memoria in Germaniae plerisque regionibus ex bene ordinata canonica illa inquisitione nil fere remansit nisi probationum generum definitio et causae cognitio, condemnatio aut absolutio, aliis tributa magistratibus quam inquisitio in crimina causaeque instructio.

Si omnibus hisce omissis, omnia magistratibus permittuntur, nonnumquam rei audiendi necessitas ipsis imponitur, iniquumque videtur reum condemnari inauditum. At vel sic, cum omnia magistratuum arbitrio et nutu reguntur, iudicium celebrari dici vix potest. Hac tamen fere ratione et via sacerdotes exercituumque duces utuntur magistratusque, quibus primum iuvenili populorum aetate delicta permittuntur punienda. Ea et Romani libera republica utebantur in eos, in quibus civis Romani dignitas non suspiciebatur, aut cum eversa republica, obsolescentibus iam quaestionibus perpetuis, dignitas illa olim tanti habita, vili iam pendebatur. Stetit autem semper iure Romano forma accusatoria. Cum primum extra ordinem cognoscere inciperent magistratus de criminibus, quae antea quaestionibus diiudicabantur perpetuis, formam legibus publicorum iudiciorum praescriptam

quantum fieri poterat imitabantur. Sed formis istis nervus erat praecisus, atque in dies vis et usus minuebatur, late longeque serpentibus accusatoriis et forma et principio. Non solum enim in dies de pluribus criminibus nullo accusante et denunciante cognoscebat magistratus, sed etiam ubi apud se accusabatur, quidquid accusatori deerat ex officio supplebat. Eo tandem deventum est, ut si crimen quod detulisset accusator causa agitata parum probasset, sed de alio prorsus crimine magistratui satis constitisset, eadem sententia criminis delati absolveret, ex officio novi criminis condemnaret. Sic prorsus eversum quod civibus in ordine formaque iudiciorum positum praesidium, nullum nisi in magistratuum moribus relictum. Et si huic praesertim rei tribuenda videtur invalescentis ad principem provocationis causa, magis etiam haecce provocatio omni norma, ordine et forma fere soluta erat.

Tristem profecto reipublicae statum referunt inordinata informiaque iudicia quae proprie iudicia vix dicenda. Sed tamen eo redeas necesse est si unice inquisitorium teneas principium, reipublicae interesse delicta puniri, si ita posthabitis singulorum iuribus, iuri universitatis omnia tribuas. Nam profecto praesidium, quod in magistratuum positum est moribus, varia ratione firmari potest, eaque re malum quod in inordinatis informibusque situm est iudiciis minui, sed non tolli potest. Nam per rerum naturam magistratibus iisdem numero multis, non omnes mandari possunt causae poenalis partes. Et si semel inter eos partes distribueris, iam adest ordo quidam iudicii et forma.

Igitur omnes moratiores gentes vigentioribus aetatibus quemvis tandem constituerunt ordinem iudiciorum et formam, quae praesidio forent iuribus singulorum, quibusque principium inquisitorium, nunquam non admissum, reprimerent coercerentque. Sic et hic agitur de iuribus coniungendis conciliandisque omnium et singulorum, de ratione quae inter totum intercedit eiusque partes.

Forma et ordine illo iudiciorum plus minusve iuribus omnium vel singulorum tribui potest. Neque tamen huius rei ratio et modus figuraeque, quas ille induit ordo et forma, fortuitae sunt, nec prorsus a legislatorum pendentes arbitrio, neque singulae per se spectandae. Arcte contra cohaerent cum ceteris publici privatique iuris institutis, definiuntur populi indole,

fatis, praesenti conditione. Quae cum his non consentiunt introduci fortasse possunt, diu stare nequeunt. Quaeque haec postulant flagitant, iis resisti non potest. Hic coercita repressaque, illic maiori etiam vi prorumpunt. Quae prorumpunt mitigari, quae irrumpunt maturari vel retardari tantum possunt. Et hoc magnorum fortasse et prudentium est civium, principum, legislatorum.

Supererat ex historia iudiciorum publicorum ordinis haecce omnia illustrare, magis magisque etiam explicare, pro varia populorum indole, fatis, praesenti conditione variare modum rationemque, quibus hac in re iura omnium et singulorum concilientur, principium quod spirent, formamque quam induant iudicia. Romanorum erant persequenda instituta. Indicandum erat omnium Germanicae stirpis gentium indoli nescio quid proprium quasi et insitum, quo bonitate naturae ductae in iudiciis publicis, singulari felicitate formam inter et principium distinxerint. Ostendendum erat, qua ratione a communi illo iuris Germanici fonte deflexi Angli, Galli, Germani, vel singulorum vel omnium iuri, vel inquisitorio principio vel accusatoriae formae plus aequo tribuerint, iamque ad communem illum fontem, nostra inprimis patrumque memoria, redierint redeantve. Demonstrandum erat in pluribus patriae nostrae et Helvetiae regionibus maiorum semper stetisse integra instituta. Docendum erat haecce in patria nostra introductis legibus Gallicis non fuisse eversa, sed contra, pro mutata populi praesenti conditione, utilitate, necessitate fere fuisse emendata, et hanc fuisse veram causam, qua tamdiu, cum iam a vi et armis esset cessatum, Gallicae leges hic vigere potuerint, quaque cum iam Gallorum ius patriae exciperent leges, pauca tantum sint mutata. Indicandum tandem ea omnia, quae tunc fuerunt mutata, coercitum iudicis ad causas instruendas delegati arbitrium, abrogatam quae privatis permittebatur, criminum si non accusationem at saltem in iudicium deductionem, esse institutorum quae iam apud maiores floruerant, et restaurationem et pro mutata populi conditione emendationem.

Sed iam urget tempus, adque finem properandum. Omittenda igitur haec omnia, quae altius inquirendi latiusque exponendi commilitonibus in scholis non deerit opportunitas.

Iam enim pro argumenti ratione quae dicta sunt sufficere videntur. Evicisse mihi videor non recte quaestionem vulgo proponi, processus utrum

accusatorius an inquisitorius probandus sit et constituendus. Et hac etiam in re usu venire probasse puto, quod toties dicitur, quaestionem bene positam iam fere esse solutam. Nemo principium inquisitorium evellere, nemo formam inquisitoriam nostra aetate defendere velit. Sane et sic de singulis iuris capitibus et placitis, quomodo hoc illove loco iura omnium et singulorum concilianda, ubi inter principium inquisitorium formamque accusatoriam fines sint ponendi, de hisce superest supereritque dissensus. Sed de his igitur, non de rerum summa disputandum.

Igitur in academia, in qua quondam posita fuere discendi tirocinia, iam ipse docendi munus capesso suscipioque. Decimus quintus mox peragetur annus, a quo tirocinium emeritus, in forum me contuli. Per quindecim deinde fere annos forensibus operam dedi negotiis, proximo anno fere immersus eram.

Non defuit igitur opportunitas quae hic didiceram, in vitae conferendi usum. Sed stetit mihi semper sententia, non tantum doctrinae copiam et fructum in vitae usum conferendos, sed etiam e vitae usu doctrinae copiam et fructus colligendos. Saltu quasi insuperabili disciplinam et vitae usum seiungi, error semper mihi visus est ineptus. Et sic si in hac alma Musarum sede disciplinae fundamenta sunt posita, in vitae usu exstructum aedificium.

Sed sunt vitae usui molestiae suae. Est rerum gerendarum moles, quae ingenii doctrinaeque nil flagitent, animum autem fatigent. Et mihi saltem videtur, si per aliquot annos in vitae versatus es usu, ex eo ad excolendam disciplinam, te non multos deinde collecturum fructus, sed magnum fore periculum, ne rerum gerendarum mole et onere prorsus obruaris et opprimaris.

Exoptatissimum igitur mihi fuit docendi munus oblatum. Rerum gerendarum mole seposita, omnis excolendae disciplinae vivere potero.

Nec tamen hocce munus iam auspicans laetitia efferor.

Cum mihi haec provincia mandaretur, gravissimis affligebar domesticis cladibus; provinciam suscipiens in tristissimorum revocor illorum dierum memoriam.

Subit porro animum muneris gravitas. Vereor ut satis viderim, quid

valeant humeri, quid ferre recusent. Haecce verens, haecce agitans, placari fere non potest animus. Precari tantum possum, adsit mihi Deus.

Est et alia tandem compressae laetitiae causa. Et iam ad vos me convertere liceat, Academiae Curatores! Quamvis me alia opportunitate docendi munere non indignum iudicaveritis, hancce tamen vestro suffragio acceptam ferre provinciam non possum. Vestrae tamen benignitati et me commendatum esse velim. Academiae Groninganae utilitas vobis curae cordique. Non potestis igitur, quamvis fortasse alii hanc provinciam mandatam maluissetis, vobis non commendatum habere, qui Academiae civium commodis, quantum possit, prospicit et inservit. Et me Academiae civium commodis prospecturum et inserviturum quantum possim, solemniter vota feci. Et a labore diligentia assiduitate contentione aliquid saltem mutuari licebit, quod a natura, ingenio, doctrinae copia obtineri minus poterit.

Vestrum ordinem ubi intueor, Clarissimi Professores, animo perturbor. Adscribor ordini, in quo avus per trientem et quod excurrit saeculi, cathedram tenuit. Et non tenuisse tantum sed ornasse, testantur omnes quicunque supersunt collegae, discipuli, cives. Eius ordini me adscribi, munus ab ipso ita fortiter gestum iam a me suscipi magnum sane. O! si pater carissimus tali patre dignus filius, huius diei solemnitati adesse potuisset. Sed non ita voluit Deus, et eius fiat voluntas sancta. Carissimo patri me in hancce evocatum esse provinciam, ne nuntius quidem afferri potuit. Septem dierum spatio mors occupaverat. Avi et patris memoriam me hoc die solemni recolere, nemo sane vestrum aegre feret! O quantum beneficium Deus in nos confert, si nobis patrem avumque non tantum colere et amare, sed etiam coram summorum virorum concione laudare, gloriari adeo licet.

Sed ne et hic laetitia efferar efficit ipsa avi patrisque laus et gloria. Est Franco-Gallis paroemia *noblesse oblige*. In Iurisconsultorum republica non est ignotum nomen meum, nec tantum in hac academia, sed per totam patriam, nec adeo patriae finibus concluditur. Num tanti nominis digno modo provinciam quam suscipio geram? O! si qua deesse posset causa, quae ad omnis ingenii animique vires exercendas impelleret, quanta foret vis in illo studio natura omnibus insito bonis, ne patre avo familiaque plane videantur indigni.

Sed et si praeceptores tantum in Ictorum ordine cogito, iam animo commoveor.

Desidero Cl. STAR NUMAN, in cuius adeo provinciae partem sufficior. Immaturam, humano nostro iudicio, mortem quantopere ploravimus. Quot quantisque beneficiis obstrictus et devinctus sum praeceptori quondam carissimo, et mihi etiam ex hac Academia dimisso semper amicissimo! Nostisne autem, auditores, vos praesertim commilitones, quid in viro summo maxime mirari solitus essem? Non erat doctrinae copia, non erat ingenii solertia, non erat prisca venustas, non erat comitas et affabilitas sermonis, quamvis et haec omnino miranda; sed erat nescio quid in homine, quo nos tirones in Ictorum castris, disciplinae amore et ardore etiam incendebat. Ipsum de iuris origine et progressu, de rationibus et causis quibus iura et instituta populorum efficiuntur, definiuntur, sustinentur disputantem, audiens delectatione saepe satiari non potui. Et ita disciplinae nostrae non tantum utilitatem sed etiam amoenitatem et iucunditatem persentire equidem coepi. Et hoc non tantum publicis in scholis sed privatis praesertim colloquiis, quibus ita benevole omnes, qui ipsius famialiaritate uti vellent, excipere solitus erat. Hisce colloquiis plurimum me debere gratus profiteor. Et tanti praeceptoris vestigiis incedere cupiens, nec hac in re vobis, commilitones, deesse spero. Familiaritate mea utamini, et si modo praeceptoris aestumatissimi rationem et methodum hac in re assequi possum, hoc vobis fructuosissimum fore mihi est persuasum.

E praeceptoribus te, Cl. NIENHUIS, superstitem hic salutare licet. Non amplius munere fungeris. Valetudine impeditus ante diem rude donari flagitasti. Recreetur valetudo, dulcissima fruaris senectute, et diu incolumis serveris ex animi opto sententia. Multa et tibi me debere gratus profiteor. Benevolentia et benignitate me semper excepisti. Et tuae institutioni acceptum refero, quae ad me Ictum informandum maxime valuerunt. Vitae, fori usu pollebas tu, ad vitae usum omnia referebas, ex vitae usu omnia explicabas. Et est tibi admirabilis quaedam facultas, casus qui in vita occurrunt distinguendi, et ut ita dicam dissecandi, ut appareat quaenam applicari debeant iuris regulae. Si ex vitae usu inprimis iuris doctrinam colligendam esse puto, iuste vitae usum observandi arte a te institutus sum.

Non tantum superstitem, sed summo vigore munere fungentem te video,

aestimatissime PHILIPSE! Nonne fugaces labentesque cogitas annos, qui avo olim usus es collega, iam nepotem eodem compellas nomine, cui laborum societas fuit cum avo, nunc iam erit cum nepote.

Quid tibi dicam? Praeceptores omnes colebam, te autem non ut ceteros amabam, te verebar.

Mirabar doctrinae copiam, uberrimam orationis elegantiam, iudicii acumen et summam perspicuitatem, qua subtilissimas et intricatissimas iuris civilis quaestiones explicabas. Mirabar accuratam scientiam, ἀκρίβειαν vocant, quae hodie tantopere desideratur.

Sed erat in te aliud, quod magis etiam suspiciebam. Eadem semper severitate et veritate bona malaque notabas, flectere nescius semper te probabas antiquae virtutis et fidei virum, hominem egregie cordatum, et sic iuvenum animos ad iusti amorem, iniusti horrorem incendebas.

Quid mirum me, quamvis summa benignitate et benevolentia semper iuvenem exceperis, te semper suspicientem, familiariter te uti nunquam ausum fuisse. Non eo minus, eo magis fortasse lectionibus tuis, colloquiis, monitis ad Iurisprudentiae civilis cognitionem conformatus est iuvenis. Tibi debeo quidquid in Iurisprudentia Romana profeci. Pergas quaeso me collegam tibi datum eo semper animo prosequi, quo discipulum prosequutus es. Tua eruditione meae penuriae, tua experientia meae imperitiae succurras. Ne dubites quin tua benevolentia, tuo exemplo, tuis consiliis mihi nihil unquam futurum sit gratius, nihil antiquius.

Ex iis quos in aliis disciplinis praeceptores habui, plures eheu fato functi sunt. Desidero Viros Cl. TEN BRINK, LIMBURG BROUWER, LULOFS, quanta nomina. Alios habeo superstites quos quondam praeceptores, nunc iam collegas saluto. Hoc solemni die quondam discipulus gratum vobis animum non testificari non potest vobis, Viri Cl. ERMERINS, DE GREUVE, tibi praesertim, Rector Magnifice! Scholis enim etiam tuis interfui, Cl. PAREAU. Nullus unquam dies memoriam illius delebit temporis, quo tuo ab ore pendebam, primam cum explicares epistolam discipuli quem Dominus amabat, et de amore de coniunctione nostra cum Deo Christoque egregie disputares.

Ceteri omnes Professores, vobis omnibus me commendo. Animo benevolo me advenam accipiatis et consiliis vestris adiuvetis. Mihi id vicis-

sim curae erit, ne unquam in ulla re quam officii, benevolentiae, amicitiae ratio postulet, ulli vestrum desim.

Vestris autem commodis, Praestantissimi Iuvenes Academiae Groninganae cives, summa ope et industria me inserviturum et prospecturum iam dixi. Nec tempori nec labori unquam sum parciturus, quoties de vestris studiis ornandis ac promovendis agitur, quoties vobis vel lectionibus publicis vel magis etiam familiaritati vel privatis colloquiis prodesse potero.

Sed inane infructuosumque erit omne quidquid fecerunt praeceptores, nisi et vos omnes animi vires exerceatis. Non enim praeceptores vestram operam et laborem in se suscipere possunt.

Et molestum in omni re, in omni arte et disciplina tirocinium. Sudandum et algendum. Iurisprudentiae inprimis initia arida atque ieiuna. Non propter iucunditatem et amoenitatem, sed propter utilitatem Iurisprudentiae militiae nomina dedistis. Et recte. Nil nisi Deus sui in se finem continet. Sed nisi amas quod agis, nunquam recte facies. Et in omni re hoc summum, quod oportet et lubere. Sed eo in omni re per annos, per totius vitae cursum non pervenimus. Disciplina autem cui vitam impendere decretum, si non eo tempore vitae quod in Academia degitis, cara cordique esse coeperit, vereor ut semper arida ieiunaque vobis videatur.

Sed quid faciendum ut cara cordique Iurisprudentia esse possit? Hoc primum ne ante tempus amoenitates iucunditatesque flagitetis, ne ludum putetis ista perdiscere initia, ne quod molestum operosum est, fugere velitis. Hae vestrae partes. Quod secundum nostrae partes, indicare vobis viam qua intelligatis, quae in Iurisprudentia sit vis, pulchritudo, delectatio, iucunditas et amoenitas. Vobis vestris, nobis nostris beni fungi partibus, det precor Deus.

REDEVOERING

OVER DE

STAATHUISHOUDKUNDIGE GESCHIEDENIS VAN NEDERLAND,

UITGESPROKEN DOOR

Mr. O. VAN REES,

BIJ GELEGENHEID VAN DE AANVAARDING ZIJNER BETREKKING ALS BUITENGEWOON HOOGLEERAAR IN DE FACULTEIT DER REGTSGELEERDHEID AAN DE HOOGESCHOOL TE GRONINGEN,

OP 24 APRIL 1858.

EDEL GROOTACHTBARE HEEREN, CURATOREN DER GRONINGSCHE HOOGESCHOOL,

WELEDEL GESTRENGE HEER, SECRETARIS VAN HET COLLEGIE VAN CURATOREN,

HOOGGELEERDE HEER, RECTOR MAGNIFICUS,

HOOGGELEERDE HEEREN, HOOGLEERAREN IN DE VERSCHILLENDE VAKKEN VAN WETENSCHAP, ZEER GEACHTE AMBTGENOOTEN,

EDELACHTBARE HEEREN, AAN WIE HET BESTUUR VAN DIT GEWEST EN VAN DEZE STAD EN DE HANDHAVING DES REGTS IS TOEVERTROUWD,

WELEERWAARDE HEEREN, LEERAREN DER GODSDIENST,

WELEDELE ZEER GELEERDE HEEREN, DOCTOREN IN DE VERSCHILLENDE FACULTEITEN,

AANZIENLIJKE SCHARE VAN JONGELINGEN, DIE U AAN DEZE HOOGESCHOOL OP DE WETENSCHAPPEN TOELEGT,

GIJ ALLEN VOORTS, VAN WELKEN RANG OF STAND, DIE DEZE PLEGTIGHEID MET UWE TEGENWOORDIGHEID VEREERT,

ZEER GEËERDE TOEHOORDERS!

Wanneer men de ontwikkeling der staatswetenschappen in den laatsten tijd gadeslaat en de rigting onderzoekt, welke zij inzonderheid sedert het einde der vorige eeuw zijn ingeslagen, dan valt het reeds bij eene oppervlakkige beschouwing in het oog, dat zij zich thans bovenal met de studie van het leven des volks, van de eigenaardige, uit het wezen van den mensch voortspruitende, inrigting der maatschappij bezig houden.

De verwarring van den staat met een bloot uitwendig middel tot handhaving van regt en orde, de huldiging van een verdicht maatschappelijk verdrag als zijn eenigen grondslag en wet, wijken meer en meer voor het bewustzijn, dat de staat geen vrijwillige vereeniging van op zich zelven staande menschen, geen gewrocht van menschelijke willekeur, maar een kunstig organisme is, dat zich volgens bepaalde, door de hoogste wijsheid ingestelde, wetten beweegt, en alleen door hare eerbiediging aan zijne verhevene bestemming kan beantwoorden. Van daar dat op elk gebied der staatswetenschappen het streven zigtbaar is, om dieper in den aard van dat organisme door te dringen, en de oorspronkelijke krachten op te sporen, aan wier geheime werking staat en maatschappij hun aanzijn en hunne inrigting te danken hebben. De politieke geschiedenis bepaalt zich niet meer tot de schildering van de regeringsvormen en de onderlinge verhouding der onderscheidene volken, maar acht het niet beneden zich in de inrigting van het regtswezen, in den toestand van handel en nijverheid, in het stelsel van opvoeding en onderwijs, en zelfs in de heerschende denkbeelden omtrent godsdienst en zedelijkheid den loop hunner ontwikkeling op te sporen. Het volkenregt, niet meer tevreden de betrekkingen tusschen de natiën aan de eeuwige voorschriften des regt te toetsen, streeft er naar om ook op zijn gebied de wetten te leeren kennen, waardoor het zamenleven der volken wordt beheerscht. Het wijsgeerige staatsregt, dat zoo dikwerf gevaar liep zich in nevelen te verliezen, door den bodem der werkelijkheid te verlaten, begint meer en meer de ervaring tot grondslag zijner bespiegelingen te nemen. Toen de groote Montesquieu de Engelsche staatsregeling als een navolgenswaardig voorbeeld aanprees, beriep hij zich, tot regtvaardiging zijner ingenomenheid, reeds op de omstandigheid, dat zij volkomen overeenstemde met het karakter en de instellingen der volken van Germaanschen oorsprong; en sedert zijne leer aan het constitutioneele staatsregt het aanzijn heeft gegeven, is in de geschiedenis dier wetenschap een voortdurend streven op te merken, om niet slechts het natuurlijk organisme der maatschappij, vooral met het oog op de zamenstelling eener ware volksvertegenwoordiging, meer in aanmerking te nemen, maar ook in het algemeen aan de geschiedkundige grondslagen van het positieve staatsregt steeds meer waarde te hechten. De behoefte aan vol-

ledige kennis van al de bestanddeelen en openbaringen der menschelijke zamenleving, in hun oneindige verscheidenheid en onderlingen zamenhang, heeft zelfs eene nieuwe wetenschap, de statistiek, in het leven geroepen; en zou de voorbeeldeloos snelle ontwikkeling der staathuishoudkunde, zelve insgelijks eene vrucht van de ernstiger en naauwkeuriger studie der maatschappij, niet gedeeltelijk aan de belangstelling zijn toe te schrijven, welke de door haar aan het licht gebragte feiten en toestanden bij geleerden en ongeleerden hebben opgewekt?

Het is een merkwaardig en in de geschiedenis zelden voorkomend schouwspel, den bijkans onwederstaanbaren invloed gade te slaan, welke de laatstgenoemde wetenschap reeds terstond na haar optreden op de gansche wereld heeft uitgeoefend. Nog geen honderd jaren geleden werd zelfs haar naam als die van een zelfstandig en geordend zamenstel van kennis nog niet genoemd, en was haar wezen zoowel aan staatslieden als geleerden grootendeels onbekend. De gansche reeks der verrigtingen en verhoudingen, welke aan de voortbrenging en de verdeeling van stoffelijke goederen ten grondslag ligt, was in haar waren aard en noodwendigen zamenhang nog voor het kortzigtige menschelijke oog verborgen gebleven. Verschijnselen, die thans uit de eenvoudigste en meest onbetwistbare wetten verklaard kunnen worden, werden aan een bloot toeval toegeschreven of van willekeur afhankelijk geacht. Welke regering twijfelde er aan, dat zij door hare verordeningen den loop der nijverheid regelen en zelfs den prijs der waren naar goedvinden bepalen kon? Hoe dikwerf heeft men door muntverzwakking of door uitgifte van papieren geld getracht eene ledige schatkist te vullen, in den waan dat alleen de stempel der regering aan de munt hare waarde gaf! Doch de feiten weerspraken telkens de leer van het alvermogen van den staat op dit gebied, en wezen op maatschappelijke wetten, die niet straffeloos konden verkracht worden. Reeds had de gewigtige vraag naar het bestaan en den aard dier wetten veler hersenen vermoeid en veler pennen in beweging gebragt, en waren hier en daar enkele lichtstralen doorgebroken, toen de staathuishoudkundige wetenschap, gelijk MINERVA uit het hoofd van JUPITER, eensklaps in den vollen bloei der jonkvrouwelijke schoonheid, met den ernst der waarheid op het voorhoofd en de blinkende wapenrusting der geleerdheid om de leden, uit het vrucht-

bare brein van een man van genie te voorschijn kwam. Met veelzijdige ervaring toegerust, even bekend met de schuilhoeken van het menschelijke hart als met het leven der maatschappij, met een diepzinnig maar tevens helder verstand en juist oordeel begaafd, legde ADAM SMITH de uitkomsten der opmerkingen en overdenkingen van een lang en werkzaam leven in een boek neder, welks inhoud aan zijnen naam de onsterfelijkheid waarborgt. Eeuwen lang had de dwaling geheerscht, dat goud en zilver alleen den naam van rijkdom verdienen; en de Fransche physiocratische school, hoezeer op dit punt van vooroordeelen vrij, was op hare beurt een nieuwen dwaalweg ingeslagen, door de kracht om rijkdom voort te brengen uitsluitend aan den grond toe te kennen. SMITH bewees, dat de eenige ware bron van rijkdom in den arbeid gelegen is, schetste in meesterlijke trekken de rol, welke bij de voortbrenging door het kapitaal, of de opgespaarde vruchten van vroegeren arbied, gespeeld wordt, stelde de heilrijke gevolgen der verdeeling van den arbeid in een helder licht, ontvouwde met groote scherpzinnigheid de wetten, waardoor de prijs der waren wordt geregeld, en wees aan het geld zijne juiste plaats aan in het grootsche proces der vermeerdering van de stoffelijke welvaart der volken. Al ware hij bij de ontwikkeling van deze grondbeginselen der volkshuishoudkunde stil blijven staan, hij zou als stichter eener zelfstandige en voor de maatschappij hoogst gewigtige wetenschap eene plaats verdiend hebben in de achtbare rij der grootste geleerden en der weldoeners van het menschelijke geslacht. Doch hij ging nog verder en aarzelde niet de bestaande betrekkingen tusschen de regering en de nijverheid aan de uitkomsten van zijn onderzoek te toetsen; en ook op dit gebied der eigenlijke staathuishoudkunde heeft hij de grondslagen eener nieuwe orde van zaken gelegd. Hoeveel dwalingen en vooroordeelen zijn niet voor den geesel zijner scherpe kritiek bezweken! Het mercantiele stelsel, sedert de ontdekking van Amerika voor het toppunt van staatswijsheid gehouden, bleek thans eene dwaling, en zelfs in menig opzigt eene schadelijke dwaling te zijn. De glans der krachtvolle maatregelen, waardoor COLBERT beproefd had aan het Fransche fabriekwezen eene te voren ongekende vlugt te geven, verbleekte voor het licht der nieuwe wetenschap, die voortdurende bescherming en voogdij als een zoet maar doodelijk vergif voor de nijverheid leerde be-

schouwen. Ook het gewigtige onderwerp der koloniën bleef door Smith niet onbesproken. Terwijl hij aan den eenen kant met levendige kleuren de nadeelige gevolgen schilderde van eene kortzigtige koloniale politiek, en in de veelvuldige moeijelijkheden en teleurstellingen, waarmede alle koloniale mogendheden te worstelen hebben gehad, de onverbiddelijke Nemesis deed opmerken van het onregt, door het baatzuchtige Europa jegens de ingezetenen zijner overzeesche bezittingen gepleegd, wees hij aan den anderen kant op de groote en onvergankelijke voordeelen, aan een wijzer en regtvaardiger bestuur verbonden. Zoo werd op elk gebied der nijverheid de vrijheid, als de onmisbare voorwaarde tot krachtige ontwikkeling, gehandhaafd en in hare eere hersteld. Vrijheid van arbeid was voortaan de leuze der staathuishoudkundige wetenschap, en bovendien, wat niet het minst gewigtig mag heeten: er waren op het uitgebreide veld der nijverheid orde en regelmaat ontdekt, er waren wetten gevonden, die een nieuw inzigt verleenden in den aard en het doel der menschelijke zamenleving en daardoor tot vernieuwden eerbied stemden voor een hooger wereldbestuur.

Geroepen tot de eervolle taak, om aan deze hoogeschool mijne krachten te wijden aan het onderwijs en de bevordering der staatswetenschappen, heb ik het niet ongepast geacht, bij het aanvaarden dier gewigtige betrekking, de hoofdtrekken der staathuishoudkundige geschiedenis van ons vaderland te schetsen. Welke denkbeelden hebben onze voorouders gekoesterd omtrent den aard der rijkdommen en de verhouding tusschen de regering en de nijverheid? Welke zijn de gevolgen, zoowel hunner juiste inzigten als hunner dwalingen geweest? Zietdaar voorzeker hoogstgewigtige vragen, waar het eene wetenschap betreft, die, hoewel de jongste der staatswetenschappen, met de welvaart der volkeren in het naauwste verband staat. Schenkt mij dan uwe vereerende en welwillende aandacht, wanneer ik beproeven ga een beknopt antwoord op die vragen te geven.

Er zijn weinig natiën, G. T., die zich beroemen kunnen niet slechts in godsdienstig en staatkundig maar ook in oeconomisch opzigt zulk eene voor-

treffelijke opvoeding genoten te hebben, als de onze. Verre van in weelde opgebragt en door overdaad bedorven te zijn, hebben onze voorouders moeijelijke leerjaren doorgeworsteld en reeds vroeg geweten, dat zij zich alleen door eigene krachtsinspanning, langs den weg van onvermoeiden arbeid en vrijwillige zelfbeheersching, tot een gewenschten trap van welvaart en bloei verheffen konden. Klein van omvang en arm aan voortbrengselen, leverde de Nederlandsche bodem te weinig op, om zelfs in de toenemende behoeften zijner eigene bewoners te voorzien. Bovendien, hoe dikwerf kwamen stormen en watervloeden de hoop des landmans verijdelen, en wreekten de verbolgene stroomen zich op vreesselijke wijze over de knellende banden, waarmede hun voormaals vrije loop door den onvermoeiden landzaat binnen afgeperkte beddingen besloten was. Doch de hinderpalen en gevaren doofden den moed en de volharding onzer voorouders niet uit; integendeel, zij waren krachtige prikkels voor hun vernuft en hunnen ondernemingsgeest. Nog was geen tiental eeuwen verloopen, sints met de eerste Christenkerk de grondslagen van beschaving en maatschappelijke orde in de voormalige woonplaats der Batavieren en Friezen gegrondvest waren, en reeds had het door de natuur schijnbaar zoozeer misdeelde Nederland zich tot een onafhankelijk gemeenebest verheven, dat in een langdurigen worstelstrijd met de magtigste mogendheid van Europa zijne nationaliteit, zijne burgerlijke en gewetensvrijheid, met de wapenen in de vuist gehandhaafd en gewonnen had. Reeds was het een land geworden overvloeijende van welvaart en rijkdom, vol van groote en volkrijke steden, het middelpunt van den handel tusschen het noorden en het zuiden van ons werelddeel, en de voornaamste stapelplaats der kostbare waren, aan wier vertier Venetië zijne grootheid en Portugal zijn kortstondigen bloei verschuldigd waren geweest. En vraagt gij naar de oorzaken dier groote en betrekkelijk snelle omkeering? Het is bijkans een kort begrip van de eerste beginselen der staathuishoudkunde, dat ik u tot antwoord moet geven. Het Germaansche en derhalve vrijheidlievende en ernstige karakter onzer voorouders kreeg door den invloed van grondgesteldheid en klimaat eigenaardige trekken, die op de ontwikkeling van handel en nijverheid een allergunstigsten invloed moesten uitoefenen. Gezond verstand en arbeidzaamheid, zelfwerkzaamheid gepaard met de geschiktheid om zich tot een gemeenschappelijk doel met anderen in een

Exercitiis Oratoriis vacabit die Iovis, hora III, *Catecheticis*, die Martis, hora XI—I, *Colloquio homiletico*, die Martis, hora VI—VIII p. m.

Discipulis provectioribus Orationes sacras habentibus praeses aderit die Veneris, hora II.

ABRAHAMUS DIDERICUS LOMAN,

Theol. in Semin. Evang.-Luth. Professor,

Encyclopaediam et *Methodologiam Theologiae* docebit, diebus Martis et Mercurii, hora XII;

Historiam librorum Sacrorum N. T., duce Reuss, enarrare perget, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora I;

Dogmatum historiam tradet, diebus Iovis et Veneris, hora XII;

Disputandi exercitia moderabitur, die Martis, hora I;

Privatim *selecta quaedam capita ad Theologiam Biblicam n. v. pertinentia* tractabit horis vespertinis deinceps indicandis.

SAMUEL MULLER,

Theol. Professor in Semin. Teleiobapt.,

Praecepta stili bene belgici in orationibus sacris dare sibi proponit;

Historiam literariam Teleiobaptistarum Neerlandiae enarrabit, horis auditoribus commodis, deinceps indicandis.

IANUS VAN GILSE,

Theol. Professor in Semin. Teleiobapt.,

Exegesin Veteris Testamenti tradet explicando libro, qui Salomonis Ecclesiastes inscribitur, diebus Martis et Mercurii, hora I—II;

Exegesin Novi Testamenti explicandis Epistolis Iohanneis, diebus Iovis et Veneris, hora I—II;

Historiam Ecclesiae docebit ita ut imprimis exponendis antiquissimorum Ecclesiae Patrum libris operam det, diebus Martis et Mercurii, hora II—III;

Artem homileticam tradet, die Veneris, hora II—III;
Exercitia oratoria moderabitur, die Lunae, hora III—IV;
Commilitonibus orationes sacras habentibus praeses aderit, die Iovis, hora II.

SYTSE HOEKSTRA BEN^TI FILIUS,
Theol. Professor in Semin. Teleiobapt.,

Theologiam christianam dogmaticam docebit diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris, hora IX;
Disciplinam morum christianam tradet diebus Martis, Mercurii, hora X;
Historiae philosophiae theoreticae illam potissimum partem, quae continet Kantii philosophiam, diebus Martis, Mercurii, hora XI.

IOANNES TIDEMAN,
Theol. in Semin. Remonstr. Reform. Professor,

Introductionem in Theologiam Christianam tradet diebus Iovis et Veneris, hora X;
Theologiae Chr. Dogmaticae partem *Biblico-Evangelicam* docebit diebus Martis, Mercurii, hora I, Iovis et Veneris, hora XII; partem *critico-historicam* (Apologeticam et Symbolicam) diebus Martis et Mercurii, hora IX;
De *Euangelii Ministerio* eiusque *partibus diversis* aget, diebus Iovis et Veneris, hora IX;
Discipulis *Orationes sacras* habentibus praeses aderit, die Martis, hora II;
Exercitia Oratoria moderabitur, et de *Historia Biblica* eiusque *fontibus* cum discipulis colloquetur diebus et horis, sibi illisque commodis.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI CONIUNCTISQUE CUM EO SEMINARIIS

DIE XXXI M. DECEMBRIS CIƆIƆCCCLVII.

In	Facultate	Theologiae	73.
〃	〃	Iurisprudentiae	53.
〃	〃	Literarum	3.
〃	〃	Medicinae	19.
〃	〃	Philosophiae	3.
			151.

ATHENAEUM

D A V E N T R I E N S E.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS

QUI

A. D. XVI FEBR. CIƆIƆCCCLVII A. D. XVI FEBR. CIƆIƆCCCVIII

DOCENDI MUNUS OBIERUNT

IN ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI.

V. S. M. VAN DER WILLIGEN, Mathes. et Phys. Prof., h. t. Rector Magn.
I. VERBURG, Theol. et Doctrin. Moralis Prof. honorarius.
P. BOSSCHA, Litt. Antiq. Prof. honorarius.
I. DUYMAER VAN TWIST, Iur. Prof.
M. I. COP, Chemiae Prof.
I. VAN VLOTEN, Litt. Belg. et Hist. Patriae Prof.
L. MULDER, Botan., Geol. et Oecon. ruralis Prof.
E. I. KIEHL, Litt. Antiq. Prof.
I. I. METZLAR, Litt. Hebr. et Antiq. Prof. extraord.

S. SUSAN, Litt. Hod. Lector.

ORATIO INAUGURALIS

DE

N. ET V. F. UNO ET VARIO,

QUAM HABUIT

I. I. METZLAR,

LITT. ET ANTIQ. HEBR. PROF. EXTRAORD.,

QUUM PUBLICE MUNUS SUSCEPERIT

IN ATHENAEO DAVENTRIENSI.

PRAESES ET CETERI HUIUS CIVITATIS MAGISTRATUS, VIRI AMPLISSIMI! NEC NON

HUIUS ATHENAEI CURATORES, VIRI PRUDENTISSIMI!

QUIQUE HIS COLLEGIIS AB ACTIS ESTIS, VIRI DILIGENTISSIMI!

RECTOR MAGNIFICE!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

IUSTITIAE ANTISTITES, VIRI SEVERISSIMI, INTEGERRIMI!

RELIGIONIS INTERPRETES, VIRI HONORATISSIMI!

QUARUMVIS ARTIUM ET DOCTRINARUM DOCTORES, VIRI ERUDITISSIMI!

BONARUM ARTIUM STUDIOSI, IUVENES ORNATISSIMI!

OMNIUM ORDINUM CIVES, HOSPITES, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Ne exspectetis quaeso de oratione iam habenda, ut vobis doctrinae specimen qualecunque exhibeat, verum eam habeatis potius documentum quodammodo humanitatis. Non satis honestum enim esse putabam, si munus susciperem, et non, data occasione, aliquid, isti occasioni munerisque quo fungor rationi, conveniens, proferrem.

Mirabimini quae causa sit huius orationis latine habendae? In eo certe minime quaerendam esse censeam quod tam bene versatum me crederem, si crediderim unquam, in cognitione linguae, olim doctorum nuncupatae.

Verum, cui bono confessio ista, eaque vobis, inter quos cum adsint, quibus litteris humanioribus studium operamque dare et gaudium et officium est?

Audita enim hacce oratiuncula, vobis persuasum habebitis non hanc fuisse causam; tenuitatis hac in re mihi conscius sum. Non vereor tamen ne apud Iudices, qui fideliter artes non solum didicisse, verum etiam docuisse dici merentur, mihi exspectandum sit iudicium nimis severum; mixtum illud erit solita vestra humanitate atque benevolentia, cuius me indigere quam maxime sentio.

Cur autem latine dicam, haec causa est; primo, quod lingua latina tempori ac loco paullo accommodatior videtur. Dein, cum Iuvenibus, — fere dixerim: amicis, in colloquiis et lectionibus latine loqui solemus, idque in Iuvenum ipsorum commodum, quippe qui, cum tandem aliquando coram Moderamine ecclesiastico-Provinciali examini se offerunt, ex legis statuto tenentur et coguntur huius examinis partem, exegeticam dictam, latine eluctari; quorum multi gravatos quidem, minime certe adiutos istius lege praescriptae linguae usu se sentiunt. Eheu, revera plus semel, luce clarius quantas in angustias eius usu redigantur, conspiciebatur triste specimen. Iam, inde molestiam oriri et detrimenti quid concipi, quis est qui neget et mecum affirmare recuset?

Quae cum ita sint, visum est nobis, in nostris scilicet litteris, omnem isti rei curam intendere, ut, quoad eius fieri possit, gravis illa molestia, si non penitus dimoveatur, levius saltem feratur, atque adeo ab initio inde in usum inducere sermonem latinum. Iam, si causas consideretis allatas, num ita mirum vobis videtur cur illa, qua in privatis conventibus utimur lingua, nunc quoque publice utar, cum munus, mihi mandatum, auspicor?

De argumento seligendo non vehementer dubitavi. Consului simpliciter conditionem mihi propriam, nec non personam quam gero, eamque quodammodo duplicem [1]). Quis ego? Me scio Novi T. ministrum et, — cum Hebraeas litteras atque antiquitates docere mihi mandatum videam; hinc inde aliquatenus V. Foederis doctorem me nominari oportebat. Medium igitur quendam inter utrumque teneo locum. Non longe petitum itaque videtur aliquid de utroque proferre et quidem, quod in promptu et ad

[1]) Etsi in unum iure coniungendam.

manum quasi adest, de quo dubium vix movetur: de utriusque nexu et dissensu, sive brevius: *de Novo et V. F. uno et vario.*

Per totum eius ambitum, campum hunc tam longe lateque patentem, vobiscum perambulare; quaecunque in eo reperiantur, *accurate* exponere, me non posse confiteor. Lineamentis quibusdam rem adumbrare atque, huius loci ac temporis ratione habita, inprimis ad Vetus attendere Foedus, sufficiat!

A priori rem contemplantibus, nihil verosimilius videtur, quam Deum non nisi uno eodemque sensu paterno, quo efformaverit, ad unum quoque eundemque finem duxisse genus humanum. De alia conditione sensim sensimque in aliam transgredi videmus res omnes creatas. Nullibi pedis tanquam saltu, ab iis quae fuere ante ad ea quae iam sunt, properat providens Numinis cura. Sin vero locum obtinere videatur ut, puncto temporis, nonnulla subeant mutationem inexspectatam, cuius adspectus nos obstupefacit plerumque, e. g. ubi atra nubes lucidum fulmen repente peperit; iis nihilominus, quibus, physicarum rerum peritia, licet ad rerum origines adscendere, phaenomenorum ortum et progressum explorare, apparebit omnino nexum adfuisse causas inter et qui inde oriuntur, effectus, quo arcte cohaererent.

Haud secus in re nostra! Sub veteri iam latet N. Foedus. Ibi in nuce, hic in luce, videamus!

Sit venia verbo capiti cuique inscripto, sumtoque de arca foederis quae ferebatur. Agam igitur.

1°. De portatoribus.
Tum de eo *quod* portabatur.
Denique de modo *quo* portabatur.

I.

PORTATORES.

Historicis *illis* adstipulor, qui partem a se tractandam, proponere gaudent sub viri cuiusdam praestantis imagine, quem constat, in alicuius periodi rerum gestarum conditionem, habitum civilem s. moralem, maio-

rem vim exercuisse. Non secus ac si ista quaecunque historiae pars, eius summa certe ac praecipua, se adspectui praeberent in isto, prae aliis dominante et eminente homine; omniaque fere facta et fata alicuius populi, totiusve mundi, radiorum instar recurrere ad idem viderentur, de quo itidem exiisse dici potuerint centro. Sic et nobis sufficiet nuncupare nomen Abrahami, Mosis, Iesaiae; quorum quisque sui temporis partes egisse dicendus est.

Abrahami aetas etiamsi vetustate ab initio Novi F. longius quam Mosaïca distat, ipsa tamen eius indole, multo propior existimanda. Omissis enim ritibus sacris, legibusque isti Mosis tempori accommodatis, maximopere inter se convenire hanc V. periodum cum toto N. F. tempore atque sibi suaviter respondere vicissim, quisque videt. Nec aliud quid temporum lapsus effecisse videtur, quam ut ea quae semel a Deo data atque a homine erant recepta, magis magisque sint exculta.

A Numinis supremi iam pridem cultu aberraverat genus humanum. Ecce, consilium, Deo dignum, hominique idem saluberrimum, secum reconciliandi genus illud disiunctum, incipit prodire in lucem, descendere in animos eosque flectere ad meliora, *modo*, in caeteris Dei operibus conspicuo rebusque humanis, eique conveniente i. e. *lente festinando*. Unum seligit Deus hominem, transit ad unam familiam, pergitque ad populum unum ut sic tandem aliquando, amore suo paterno, complecteretur totum terrarum orbem. Iam ille amor non potuit non splendore sibi proprio, prima sua apparitione, elucere quam maxime et flectere animos eius gratiae capaces, cupidosque. Ille, primus inter pares, Abrahamus, ingenii acumine forsan minus, at vero aliis praestantis animi dotibus eo magis instructus; fiduciae, obedientiae, magnanimitatis documentum idque ita eximium praebuit, ut nos, obliti quibus vixerit temporibus, seriori aevo eoque christiano vitam eum degisse credamus, eumque ipsum iam adspexisse novum qui procul tunc aberat diem.

Haec omnia, quae in hoc viro praeclaro observamus, iis quae *τοῖς υἱοῖς τοῦ Θεοῦ* in N. F. adscribuntur, ab iisque ibi desiderantur, parum dissimilia sunt habenda. Parum dissimilia, inquam, i. e. non prorsus eadem. Adeoque quum sit unum, *varium* etiam hic est N. T. et V.

Novum enim illud non sinit nos esse et manere *νηπίους* sed *υἱοὶ* ut

simus voluit filius ipse Dei non auctoritate sed proprio motu ducere atque interno animi sensu sibi iunctos nos facere studet, sic ut ipse est cum Deo patre unus. Taceam de miraculis, quae plurimis impedimenta potius sint, quam quae ad fidem permoveant adminicula. Ipse, qui patraverat, ea vocat: τὰ ἔργα, tribuitque Deo. Miraculorum minus iusta forsitan est denominatio. Mirandum nimirum multo magis videretur si ille eminens prae ceteris omnibus, inter quos, qui ipsi, dotibus suis, multum praestare se putent prae multis; si ille, inquam, qui humanae cum divina, modo perfecto, i. e. arctissimo in varietate consensu iunctae sibi conscius fuit naturae. Iure mirandum dico si nil unquam dixisset, fecissetque quod non aeque bene a minus praestantibus dici, efficique posset. Nostrumne est terminos definire, quos hominis natura, ad culmen perfectionis sublata, attingere queat tandem? Omissis miraculis, iisque omnibus quibus discipulorum inscitia censeri possit magistri laudem nimis tollere voluisse in altum. *Inscitia* illa exhibet testimonium minime despiciendum, ipsum Iesum fuisse heroëm moralem, cui essent animi dotes et sapientia tam sublimes, eoque ipso tam alte supra amicorum captum sitae, ut ne dubium quidem manere possit, num illi, humanitatis studiis non exculti, suis ipsi viribus, divinam istam imaginem depingere potuerint, nisi ante oculos eam haberent. Non idealem, ut vocant, de qua sola mens capiat notionem, verum in re positam praebet nobis filius ille unicus adspiciendam imaginem realem eamque tam sublimem ut ante susceptas easque meliores opiniones de bono, vero et pulcro, puriores etiam et sublimiores fieri videamus et inde ab historia capere lumen, robur et firmamentum quantivis pretii aestimandum.

Abrahamum amicum Dei vocatum fuisse concedimus, verum non ad summum illud culmen evectus fuit ipse nec alios evehere potuit. Praestantius itaque novum contendimus esse, comparatum cum altero illo veteri.

Progrediamur ad alteram periodum Mosaïcam.

Primo obtutu ne umbra quidem remansisse videtur pristinae illius anterioris periodi lucis, neque haecce nova periodus aliquid continere quo aliquatenus conveniat cum N. F. *Novum* scilicet ex intimo pectore ut hauriamus pietatem, qua Deum amore et reverentia prosequamur, postulat.

Inde, veluti e fonte communi deducit et nos deducere docet omne officium, vim omnem moralem. Hinc adeo centies fere in N. F. scriptis *legis* et *gratiae* notiones, sicut *litterae* et *spiritus*, eius quod *vivum facit* et *morti tradit*, verbo: *N.* itaque et *V.* prorsus sibi invicem opponuntur. Revera, quod maius, quod perpetuum magis discrimen excogitari potest quam illud quod V. intercedit et N? *Illud* enim fulmina mittit de caelo, vi et armis coërcere quodcunque sit oppositum, a se alienum, mortis poena caput auferre, quaerit ubique. *Hoc* suavi modo, voce clementi hominem vocat, invitatque ut denuo amissae salutis magis etiam quam antea capax atque particeps fiat. Intima vi leniter flectere tentat animos, eosque ad meliorem frugem ducere studet.

Attamen legem continere iam elementa rerum meliorum futurarum atque adeo *σκιὰν τοῦ σώματος*, ipsius est N. F. testimonium, dignum quod a nobis comprobetur.

Utriusque Foederis argumento bene considerato, nobis obvia venit cuiusdam consensionis laeta imago, non prorsus ei imparis convenientiae, quae observatur umbram inter et quod illam peperit obiectum. Corporis circumferentia in pariete depingi solet umbra. Nunc obscurius, iam confusius hoc fieri et non semel informe quidquam apparere videmus, ita ut vix ac ne vix quidem corpus ex illius umbra agnosci queat. At vero plerumque, aliquatenus saltem, notionem de re, eius umbra dare posse, non dubitatur. Sic fabula narrat de inventa arte picturae.

Remotis enim legis praeceptis, rituumque observationibus, quibus illa institutio Mosaïca fuerat circumdata, residua manebunt principia meliora eaque non valde discordia iis, quorum summum continetur Foedere N. Ex uno eodemque fonte amoris scilicet erga Deum nostraeque naturae socios, deduci omnia posse videntur. Profecto, elementa quibus, basis instar, vitae agendi modus, mentis cogitandi ratio, niti oportet, docente V. F. eadem et nos edocet Novum. Merito dici potest N. illud F. perfecisse legem, eiusque fines magis magisque protulisse et adhuc proferre.

Pervenimus ad tertiam nostri capitis partem et, loco omnium, nominare sufficiat unum Iesaiam.

Sicut quaecunque fere regio sibi quid proprium habet et varia fructuum genera producere, variis quisque populus artibus excellere et ab aliis se distinguere solet, ita terra, ubi populus Israëliticus fixas sibi posuerat sedes, fertilis fuit non agri tantum proventu sed incolarum quoque piis animi dotibus, sensibusque religiosis. Videmus ibi fluminis instar illa religio percurrere, non quidem per ripas semper aequales nec supra fundum aeque purum ubique attamen perpetuo fluxu. Obvium ire tibi putas et videris audire sancti cuiusdam spiritus flatum quovis te vertas.

Hic illic adspicis caput tollentes viros prae ceteris nobiles, quorum ope et genio religiosus animi sensus novam acquirit vim, quosque, ratione temporis quo vivebant, respectu virium, indolisque cuique peculiaribus, ad meliorem, Deo magis gratam conditionem populum permovere studentes. Inter eos eminuit IESAIAS. Quaenam fuerint eius fata, satis incertum est, certius longe eum fuisse diligentissime institutum atque bonarum litterarum studio excultum, sublimi stilo prae omnibus excellentem. Auctorum veterum Iudaïcorum nullus tam Deo dignas, tam sublimes cumque N. F. doctrina convenientes, de rebus divinis, fovit sententias. Quemadmodum fortasse MOSIS nomine post eum usi sunt ut leges suas commendarent; DAVIDIS, ut libentius acciperent carmina, mirum ni primarius ille inter Prophetas nomen suum dare debuerit ut aliorum vaticinia suis annecterentur eoque facilius propagarentur.

Iam, perspectis huius vatis vaticiniis, nobis non secus fere est ac si, oblita transitaque illa periodo Mosaïca, anterioris temporis filum, per illam MOSIS aetatem abruptum et amissum, denuo manu capiamus. Dispersa hic illic per V. F. obscuriora promissa de futuro aureo aevo, magis praecise clariusque prodire facit in lucem atque illa refert ad personam quandam olim orituram. Ecce praeteriti aevi documentum praeclarum, testans: omni aevo oriri posse et revera ortos fuisse, qui, veluti lumina in tenebris, prae ceteris, quibus erant circumdati, eminerent liberaliori ingenio, animique sensu sublimiori. Omnia haec clara clamant voce: ab humanis nunquam aliena fuisse omnino divina sed inter se iuncta et mixta esse posse atque debere!

Quamvis enim vates illi revocarent populum ad accuratam legis observationem, simul illum adhortabantur ne nimis in ritibus observandis ex-

ternis quaererent animi tranquillitatem et salutem. Ipsi saltem supra externa evecti stabant atque fovebant de Dei cultu et cognitione, opiniones, quibus consideratis, et nos de nostri aevi hominibus ut quondam de suo populo MOSES, lubentes foveremus: *Utinam omnes essent vates!*

Omnes fere V. F. vates, quam maxime ceteroquin diversi, unum aliquid inter se habuere commune; omnes nimirum in eo consentiunt ut de futuro tempore demum aureum illud aevum sperent; hac in re magnopere dissentientes ab iis inter ethnicos poëtis, qui suo longe antiquiore tempore fuisse et dudum iam praeteriisse canunt feliciorem eam aetatem.

In multis adeo V. se assimilare videtur Novo et tamen ab eo discrepare censemus.

Futura eos praevidisse vidimus, de iisque praedicasse et nobis quasi digito monstrasse diem illum beatum. Iam vero, N. audientibus, nonne adesse praesentem dicit horam istam? Spes *ibi* nos suis transfert in futura tempora alis. *Hic* vero fides tranquillam suam collocat sedem et consequi permittit statim quod alterum de postremis demum temporibus exspectare nos iubet.

Ad haec; felicitas illa olim aliquando oritura, depingitur nobis a Prophetis, vividis quidem coloribus, sed sumtis a rebus terrestribus. Non deest quidem omnino praedictio eius salutis cui iuncta esse debet animi mutatio, illius salutis recuperandae tanquam conditio. Praevalet tamen descriptio cuiusdam felicitatis, homini, sensibus addicto, gratae et cum certa quadam terrarum superficiei renovatione iunctae, ac si ab ea renovatione esset exspectanda hominum prospera conditio. Eo certe sensu accipi *posse* plura Prophetarum vaticinia et ita revera accepta fuisse atque intellecta a magna populi parte, tristibus affirmat posteriorum temporum documentis historia. Novum F. quum ex intimo animi sensu tantum fontes fluere declaret verae salutis humanae; hinc etiam quanquam in pluribus unum, varium tamen dici meretur cum V. comparatum.

II.

DE EO QUOD PORTABATUR.

Transeamus iam ad illud quod portatur. Nil aliud quam Deus ipse fuit unquam eiusque cultus atque cognitio. Eum cultum nimirum et quae

ad Dei cognitionem pertinerent, propagare, augere, cuiuscunque periodi, utriusque F. erat officium et munus.

Inde non aliter fieri potest, quam ut opiniones nonnullas omnibus communes inveniamus ubique. Huc pertinet opinio de Deo omnium rerum auctore, cuique ab omnibus debetur laus. Et vero, ea quae nos adscribere solemus causis, sic dictis, intermediis, tribuit s. codex immediate Deo, oblitus quasi naturae legum, iisque praetermissis. Ubique, in rebus etiam inanimatis, videt Deum omnia agentem, curantem. Omnia refert ad supremum Moderatorem. Quae agendi ratio, si minus fortasse ingenii acumen, eo magis sane puerilem, piumque sensum indicat.

N. et V. hac in re unum esse patet quod et illud non solum res visibiles, verum etiam mentis cogitata, consilia, animi motus interiores referre videtis ad Deum, qui tandem erit in omnibus omnia.

Eodem etiam modo loquitur utrumque F. de Deo uno.

Unum modo esse Deum primaevi fuisse videtur sententia, postea relicta. Iam, ut obstaret Polytheismo, selegit Deus (uti supra vidimus) personam, familiam, populum, quorum cura et opere, cultum suum, apud illos iam introductum, propagare etiam ad *eos* studuit, qui adhuc cognitione illa destituti erant. Iam hocce omnium fuit dogma primarium, cui superstructa fuit Resp. divina cuique substratum erat hoc fundamentum.

Comminabantur poenas gravissimas, iis infligendas, qui ad Deos peregrinos colendos se converterent.

Etiamsi N. non aliter docet et in eo unum cum V. dicendum et itidem unicum Deum revereri iubet, tamen varium quoque dici possit cum non ita *numerorum* unitatem observatam habere voluit, verum multo magis ut cogitemus de Deo, sui semper simili, qui iisdem beneficiis felices reddere vult omnes, eodem erga omnes omnino quovis tempore sensu paterno. Itaque cum sit sublimius, eo ipso varium nominare licet.

Ad ea, quae cuique periodo peculiaria annumeranda sunt, pertinet opinio vel potius sensus animi *de Deo suo*, inprimis aevo patriarchali. Valde degenerasse sequenti tempore hanc opinionem videmus inter Israëlitas, qui sibi interdum habuerunt persuasum *sua* solummodo commoda curare Iehovam,

ceteris neglectis gentibus. Puerilibus animis, quales Patriarchis adscribere non dubitamus, potuit esse solatio illa de Deo, tanquam Deo suo, patrumque suorum, opinio. Familiaritatis quid inerat isti sentiendi rationi, qua firmius niti poterat fiducia.

N. F. patefacit eundem Deum, cuius provida cura, dum complectitur omnes omnino, cuique nostrum tamen adesse videtur et quidem ita, ut quasi nil aliud sibi sit agendum, quam curam omnem intendere suam, ne quisquam quid detrimenti capiat. Iam vero fiduciae illi intimae nil nocet persuasio: illum esse omnium patrem.

Periodi Mosaïcae nota diacritica in eo conspici videtur quod *sanctitatis*, severitatisque notiones de Deo prae aliis dominium quoddam exercent. Hae quidem notionibus misericordiae et benevolentiae sunt mixtae; sed tamen, etsi ita mitigatae, ad eandem ducunt persuasionem de Deo domino, quem timebant veluti servi durum herum. Sanctus, ter sanctus est Deus vox fuit clamantis ad populum. Lucebat veluti ignis illa Domini sanctitas, usque revocabatur illud in memoriam ut a malo deterrens, ad bonum excitans, hoc Deo proprium ante oculos haberent ubique.

Eandem tribuit N. Enti supremo proprietatem estque adeo unum. Attamen argumenti summam N. F. in amore positam esse, patet, qui vero amor sanctus est, ne perversa facilitate, veluti inter homines fieri solet, deperdat quos servare intendit. Itaque minime proponitur Deus ac si *nunc* sanctus, *nunc* benignus sit habendus; sed ut unus idemque qui nunquam denegat amorem, nunquam amittit sanctitatem, sancti amoris semper plenus.

Restat ut breviter aliquid moneamus de eo quod periodo propheticae peculiare et proprium est.

Prophetae maiori quadam cura cogitasse et locuti fuisse videntur de Deo *aeterno*; ad quam contemplationem Numinis supremi eos perducebat temporis sui ratio, populique conditio, nec non munus quo fungi debebant. Illis nempe, quibus Prophetae vixerunt, temporibus, populi sors fuit ac vitae conditio infelix plerumque. Quid iam? Unde solatium? A praeteritis? Nil nisi memoria tristis. Ex iis quae adessent? Nil fere nisi quod deprimeret graviter mentem. Nil iis supererat amplius praeter

futurum. Iam vero si inde solamen afferri posset, fidem firmam habere debuerunt Deum futuris etiam temporibus praeesse. Prophetarum erat futuros prospicere casus, praedicere simul de Eo qui futuros regit casus, Deo aeterno.

Hac in re non multum distare videtur V. a N. F. quod etiam maximam impendit operam ut a futuro consequamur salutem [1]).

III.

DE MODO ET MEDIO QUO PORTABATUR.

Ferculum autem quo portatur Dei cognitio, Eiusque cultus, pari modo, varium simul et unum dici potest, estque pro magna parte methodus historica utriusque Foederis.

Non huius est loci definire quaenam sint de rebus in factis positis sumtae narrationes, quaenam minus. Critices est secernere vera a fictis; diiudicare num sit biblicum inter et historicum sermonem discrimen bene tenendum. Dummodo caveatur arte critica ne procedat a praeoccupata opinione, de Deo mundoque accepta, neque sibi placeat verbis alio quam usu valuerint sensu neque tandem separatistarum more, dubitantibus compellet: Haud intelligitis, vobis enim non spiritus est!

Quidquid huius sit; sive historiam e traditione ortam, dein exornatam et scriptis depositam, vel in rebus gestis positam et bene servatam spectemus; magna semper eius methodi historicae fuit vis et manebit ad flectendos animos, auscultandos aures. Speculi instar repercutit quasi sequenti aetati antecedentis imaginem.

Etenim, res ab homine gestas et varios casus variaque fata quae perpatitur, exponit; adducere methodus illa nos studet ad supremum Numen de caelo res terrestres gubernans, iam frenum inhibendo, iam liberum laxumque illud remittendo, prouti hoc vel illo magis minusve indigeat homo. Sinit eos libere perambulare vias suas, vigilatque simul et curat ne irritum unquam fieret suum sibi propositum.

---

[1]) Attamen: non in conditione externa nec tempore demum futuro sed in statu animi his in terris iam adesse debere ac posse vitam aeternam atque huius inchoatae vitae consummationem tandem exspectandam esse ab altero aevo docet N. F.

Iam vero nonne itidem praecipua pars N. F. est forma historica? Nonne adhibitam istam methodum videmus a Servatore in parabolis? Etiam nunc magnam vim et efficaciam illa loquendi ratio tenet in hominum animos.

Est igitur consensus hac in re Novi cum V. F.

Quod attinet ad Dei cultum periodo Mosaicae inprimis proprio; primo nutu nil inter se commune habuisse videnter N. et V. F.

Illud enim absolvit ab omni lege, omnique ritu. Non hic vides templum, altare nec sacerdotem ne quidem sacrificium. Animi sensu Deum esse colendum, erga Deum gratum esse debere ex intimo pectore, hominem docet. Habent tamen quo conveniunt.

Generatim enim statuendum est V. F. non adeo per ipsam legem, eiusque verba, sed multo magis symbolis, rebus oculis sensibusque obiectis, populum Dei cultum edocere voluisse.

In his igitur quodammodo convenit cum N. quod scilicet etiam ante oculos ponit et pingit illud quo cuiusque notione ac sensu imbuere tentat animos; adspectu igitur atque observatione magis quam verbo et dogmate, ad Deum vult ducere hominem. Attendamus modo ad illius V. F. cultus praecipuam partem; *sacrificium* nempe. Etiamsi superficies rei nullam similitudinem exhibeat nobis, nihilominus, penitus magis indagantes, invenimus et hic convenientiam. Homo nimirum peccato a Deo remotus, infelicem et miserum se non sentire non potuit. Procul a Deo, procul a salute. Iam, quomodo animus denuo propior Deo fieri *et* deberet *et* posset, sub V. F. *sacrificio* designabatur. Victimae enim sanguis continere dicebatur animum. Animus sacrificantis, cuius loco substituta erat victima (id, quod manuum impositione significabatur) peccato remotus a Deo, denuo Ei reconciliabatur atque propior fiebat, quod sanguinis adspersione ad certam sacram partem Numinis supremi tanquam sedem indicabatur.

Iam, quod eo modo adumbrabat sacrificium, revera factum est a Christo, qui se ipse dedit, devovitque Deo, atque nos docuit in ipsa devotione animi verum Dei cultum esse positum, veramque reconciliationem quaerendam.

Tandem, etiamsi, uti vidimus, signis, sacrificiis, ritibus externis, magna V. F. pars absorbeatur, haud tamen ab linguae usu abstinuit. Vox et verbum ubique vehiculum censendum est quo communicabantur mentis cogitata, animique sensus, explicabantur historiae facta. Prae ceteris vero Prophetico aevo proprium dicendum. *Verba facere*, *loqui* fuit *et* sub V. Prophetis, *et* sub N. F. Apostolis mandatum solemniter et saepius repetitum.

Praeterea in ipso dicendi genere magna est convenientia. Notum cuique quidem V. hebraïce, N. Foedus graece esse conscriptum. Attamen in ista varietate esse consensum, quis neget? In loquendi formulis, dictionibus, sermonis idiomatibus N. cum V. valde conveniunt. Hebraïce cogitasse, hebraïca loquendi ratione usos esse scriptores, luculenter patet.

Ut taceam de poëtarum scriptis; prosa oratio omnino simplex est dicenda. Habet in ipsa simplicitate, ab omni artis studio maxime remota, laudem eamque profecto minime exiguam. Non alicuius artis splendida progenies est illa simplicitas, sed naturae modesta filia. Quotiescunque enim in rebus paullo uberius enarrandis versantur scriptores, eas ita enarrant ut non legere eas descriptas, sed iis ipsi interesse videamur.

De utroque F. idem hoc valet. Nominare sufficiat IOSEPHI historiam et parabolam de filio perdito.

Sic etiam utrique proprium est sapientiae sedem quaerere non, veluti nos solemus, in capite sed multo magis in corde. Sic Ps. XC: 12 legimus: Doce me meos numerare dies ut cor sapiens consequar. Nil aliter N. Ibi est de discipulis: »Tardi et bruti cordis" LUC. XXIV: 25. Conferatur Epist. Ephesina I: 18, ubi **διανοίας** lectio interpolata est et restituenda **καρδίας**, ita ut legatur: **πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας**.

Speciatim quod V. F. spectat. Pauper et locuples simul est eius bene loquendi thesaurus. Sic, *cogitare* Hebraeis erat: *secum loqui*. Rem quamcunque fere denotant secundum agendi rationem ei propriam. Ita *exire*, *inire* iis fuit quod nos diceremus: *res suas agere*. Diligenter quid efficere, iis est: *mane surgere*. Iter suscipere: *annectere sandalium*. Omnia vivunt et agunt; verba, verbalia fere omnia in hac infantium lingua eaque apta

qua virtus ante oculos pingatur animisque imprimatur. Sed hactenus; de novo enim accuratius disputare necesse esset si huius linguae propria exponere vellem.

Ecce, pro viribus quaedam de V. et N. F. uno et vario, quae convenire mihi videbantur et meae conditioni privatae *et* publicae, nec abhorrere a loco (Athenaei auditorio), nec a tempore (die eius natali). Athenaeum illustre, nonne etiam cum pluribus eius generis institutis, originem duxit a liberaliori veritatis atque ergo etiam S. Scripturae indagatione cuius laus debetur in primis reformationi? Nonne diei natali congruum, firmare velle, quamquam lapide impolito, aedificium? Munus ab huius urbis senatu mihi mandatum, cum et me commendassent huius Athenaei Curatores, grato animo suscepi.

Stipendium quidem non adeo me permovere potuit, estque illud, titulo mihi concesso conveniens, i. e. extraordinarium (infra-ordinarium non dici solet). At cur aegre feram? Si quid habet, quo sese mihi iucundidatis nomine commendet illud, quod hodie auspicor munus, in primis hoc est quod nactus sum officium et occasionem de novo operam dandi studiis, a iuventute inde prae aliis amatis. Spero illud munus et me non omnino frustra sed in iuvenum commodum suscepisse, dum vobis Curatores, Magistratusque qui me ad illud commendavistis, illudque mihi obtulistis, pro illa vestra fiducia sinceras gratias ago et debitas.

Professores Viri Clarissimi! quos collegas salutare iure muneris mihi licet. Huius honoris cupidum me fuisse, hoc nunc laetari me profiteor, eoque magis, quod inter vos adspicio, quorum benevolentiam et fidem dudum iam expertus sum. Benigne me accipite qui, cum eruditione atque prudentia cuivis vestrum facile cedam, a nemine tamen animi voluntate aut quaevis honesta sive amicitiae, sive humanitatis officia praestandi studio, vinci me patiar. Nil magis exopto quam ut non necessitudine tantum sed mutua quoque benevolentia iuncti esse videamur! Ceteroquin, supplex Deum precor ut vos omnes et in fungendo munere vestro et in rebus domesticis tueatur et benignus vobis adsit!

Huius Athenaei alumni! Iuvenes ornatissimi, quorum ergo exstitit, stat, stetque diu haec nostra schola illustris! Deus faveat vobis omnibus!

Teneatis cursum constanter per ardua ad astra! Dolendum est huius diei gaudio tristia se miscuisse, natalis diei laetam memoriam turbatam esse funeris recordatione. Morte enim abiit, qui carus erat fidelis vester commilito. Non vigiliae ad aegrotantis et morientis lectum vobis, cum longe in terra peregrina cubaret, fuerunt concessae. Genere nobilis, nobilior etiam erat indolis humanitate. Flebilis mors illa vobis, flebilior etiam parentibus, quorum spes erat et gaudium [1]). Sic ergo discedunt qui nobiscum fuere studio, aetate, amicitia coniuncti. Ex quo tempore conditum est hoc nostrum illustre Athenaeum, quot iam transierunt ex hac vita in alteram? Superstes mansit haec alma nutrix adhuc et multas iam perduravit hominum aetates. In posterum maneat, floreat, crescat et dies hic natalis iterum, iterumque redeat!

Et vobis [2]), qui, etiamsi rude donati, munere defuncti, viribus tamen nondum destituti, exercitiis studiisque huius Athenaei alumnorum prodesse adhuc cupitis, quibus dignitas et docendi facultas honorifice relicta, vacatio vero officiorum ob aetatem et merita liberaliter concessa est. Dulce sit otium cum sit bene meritum, honorisque plenum!

Ad te vero praesertim orationem converto, senex venerabilis, in cuius locum hodie succedo, non ut tuas laudes hic praedicem, quae praeconio meo haud indigent et quarum commemoratio modestiam tuam offenderet; sed ut publice testificer quanti te faciam, semperque fecerim, ut ab hoc loco etiam me tibi commendem. Tu consilio, prudentia, doctrina tua me adiuvare perge! Tu amicitia me complecti ne desine! Faciat Deus, ut, quum in portum quasi perveneris, leni et placida senectute fruaris et in extremo quidem tempore aetatis bene actae vitae recordatio tibi sit iucundissima!

Cum Vos tandem alloquar, V. D. interpretes, eiusdem quo fungimur muneris, recordatione me arcte vobiscum sentio iunctum. Vobiscum, vice quisque sua, auditorio suo, et mihi, favente Numine supremo, liceat per multos, post hunc diem, dies, Deum Patrem eiusque in

---

[1]) Ernest von Knobelsdorff, Iur. Stud., anno aetatis XIX obiit 23 die Ianuarii 1857 Berolini.

[2]) Cll. I. Verburg et P. Bosscha.

Christo humani generis beandi consilium annunciare, alta voce et intimo pectore!

Huius civitatis Magistratus, Athenaei Curatores, Professores, Alumni, Auditores cuiuscunque generis et aetatis, literarum, artiumque Doctores, Magistri, fautores qui huc convenire non denegastis atque eo ipso nobiscum festum natale illustris Athenaei celebravistis, vobis Deus huncce diem atque omnes sequentes, faustos, felicesque reddat!

DIXI.

ORDO LECTIONUM

HABENDARUM

IN ILLUSTRI DAVENTRIAE ATHENAEO,

A. D. XV SEPT. A. CIƆIƆCCCLVII USQUE AD FERIAS AESTIVAS A. CIƆIƆCCCLVIII.

RECTORE MAGN. V. S. M. VAN DER WILLIGEN.

V. S. M. VAN DER WILLIGEN, *Math. Mag. Phil. Nat. Doct. Matheseos et Physices Professor*, h. t. *Rector Magnificus*, Elementa Geometriae docebit diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora matutina . . . . VIII.

Arithmeticam universalem, diebus Mercurii, hora . . . . . . IX.

Iovis, hora . . . . VIII.

Veneris, hora . . . . IX.

Physicam experimentalem, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora post meridiem. . . . . I.

Calculum differentialem, diebus Martis et Iovis, hora . . . . IX.

Mechanicam, quam applicatam vocant, die Veneris, hora . . X.

I. VERBURG, *Theol. Doct. Litteraturae Orientalis, Theologiae et Doctrinae Moralis Professor honorarius*, si qui sint Athenaei cives, qui ad studia sua dirigenda, ipsius opem in iis, quas professus est, literis, adhuc desiderent, illorum desiderio satisfacere, quantum poterit, haud recusabit.

P. BOSSCHA, *Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et Iur. Utriusq. Doct. Professor honorarius*, Historiam recentiorem explicabit, aut aliquam veterum literarum partem tractabit horis cum auditoribus conveniendis.

Praeterea lectiones publicas habebit de aliquo historiae capite.

I. Duymaer van Twist, *Iur. Rom. et Hodierni Doct.*, *Iur. Professor*, Institutiones Iustinianeas explicabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . X.

Historiam Iuris Romani tradet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . XI.

Encyclopaediam Iuris docebit diebus Lunae et Iovis, hora . . IX.

Ius Naturae exponet diebus Martis, hora . . . . IX.

et Veneris, hora . . . . X.

Oeconomiae politicae principia tradet diebus Lunae et Mercurii, hora . . . . XII.

Selecta iuris mercatorii capita exponet hora auditoribus sibique commoda.

M. I. Cop, *Math. Mag. Phil. Nat. Doct.*, *Chemiae Professor*, Chemiam corporum anorganicorum docebit diebus Lunae, Martis et Iovis, hora . . . . IX.

Chemiam corporum organicorum tradet diebus Lunae, Martis et Iovis, hora . . . . X.

De arte pharmaceutica disseret die Mercurii, hora . . . . . IX.

Technologiam chemicam tractabit, diebus et horis auditoribus commodis.

Chemiam physiologicam aut Chemiae forensis capita selecta tradere paratus est.

Chemiam analyticam docens quotidie exercitia moderabitur in laboratorio, ubi experientibus praesto erit G. I. Iacobson, A. B. fil.

Provectiorum colloquiis pharmaceuticis praeerit hora dein constituenda.

I. van Vloten, *Theol. Doct.*, *Litt. Belg. et Hist. Patriae Professor*, Historiam patriae et litterarum Neerlandicarum inde ab anno 1672 ad pacem Ultraiectinam tradet diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . VIII.

Grammaticam Neerlandicam et praecepta stili bene Neerlandici docebit diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . . . I.

Exercitia oratoria moderabitur die Iovis, hora . . . . XII.

et Veneris, hora . . . . I.

Grammaticam Gothicam et Grammaticam litterasque Anglo-saxonicas provectioribus tradet horis cum auditoribus, si adsunt, conveniendis.

Logicam docebit die Lunae, hora . . . . VIII.

et die Veneris, hora . . . . X.

Seculi XVI historiam continuabit decimo quinto quoque die Saturni, hora vespertina . . . . VII.

L. Mulder, *Math. Mag.*, *Phil. Nat. Doct.*, *Botanices*, *Geologiae et Oeconomiae ruralis Professor*, Botanicem generalem:

a. Morphologiam plantarum docebit diebus Martis et Mercurii, hora . . . . XII.

b. Anatomen et physiologiam plantarum diebus Martis et Mercurii, hora . . . . XI.

Botanicem specialem (phytographiam plantarum et botanicem systematicam) exponet die Iovis, horis . . . . XI et XII.

Favente coeli temperie, cum discipulis excursiones botanicas moderabitur.

Pharmacognosin tradet diebus et horis auditoribus commodis.

Geologiae capita selecta tradere paratus est die et hora auditoribus, si adsunt, commodis.

Oeconomiam ruralem docebit diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, hora . . . . X.

Artem mercium dignoscendarum (warenkennis) exponet diebus Veneris et Saturni, hora . . . . XII.

E. I. Kiehl, *Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doct.*, *Litterarum Antiquarum Professor*, Xenophontis apologiam Socratis, porro selecta e Xenophonte, Lysia, Theophrasto, Herodoto et Homero interpretabitur diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora . XI.

Ciceronis in Verrem actionem V et selecta ex Horatio diebus Lunae, Mercurii, Martis et Iovis, hora . . . . X.

Antiquitates Romanas tradet diebus Lunae, hora . . . . . . I.

Martis et Iovis, hora . . . . IX.

et Veneris, hora . . . . X.

Historiae antiquae capita selecta, Persicum, Peloponnesiacum, Punica bella, historiam Romanam a L. Sullae dictatura ad praelium Actiacum diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, hora . . . . XII.

Colloquia Latina moderabitur, octavo quoque die, hora auditoribus commoda.

Futuris philologis prospiciet quantum fieri poterit.

I. I. METZLAR, *Litt. Hebr. et Antiquitatis Prof. extraord.*, Elementa linguae Hebraeae docebit diebus Mercurii et Iovis, hora media . . . . III.

Librum *Iosua* explicare perget diebus Iovis et Saturni, hora VIII.

De antiquitate Hebraea lectiones habebit diebus Mercurii, Veneris et Saturni, hora . . . . IX.

Locos quosdam selectos V. F. tractabit die Veneris, hora . . X et XI.

S. SUSAN, *Litterarum Hodiernarum Lector*, Athenaei civium, qui Litteras Germanicas, Anglicas, Italicas et Gallicas sibi tradi cupient, desiderio lubens satisfaciet. Idem cum auditoribus de poemate Italico, *La Gerusalemme liberata di Torquato Tasso* inscripto, disseret.

Disciplinae mathematicae et physicae, litterae Belgicae et historia patriae, ceterae doctrinae, quae alumnis Athenaei linguae Latinae non peritis utiles esse possunt, sermone tradentur vernaculo.

Bibliotheca Athenaei unicuique patebit die Mercurii, horis . . . . I—IV.
et Saturni, horis . . . . XI—II.
feriarum autem tempore die Mercurii, horis . . . . II—IV.

Laboratorium chemicum, herbarium, apotheca mercium et museum physicum inspici possunt quotidie, exceptis horis quibus habentur lectiones.

